REFVTATIO VTRIVSQVE ELENCHI CERCOPETAVIANI.

Auctore

FRANCISCO FRANCO I. C.





PARISIIS.

M. DC. XXIII.



AN

FRA



ctus, t
gratul
tauio p
taueris
tùm, se
cum ra
que iuc
arbitr
lorarii
le ab i
se, sie
posteru
da vid



ANTONIO KERKOETIO MASTIGOPHORO.

FRANCISCVS FRANCVS I.C. S. P.

QVOD ab vltimis vsque Aremoricorum finibus, licet nusquam ab hac vrbe digressus, saluus tamen ad nos redieris, & noua quidem dignitate auctus, tibi gratulor, Cercoeti, & totam hanc gratulationem Reuerendo Patri Dionysio Petauio proficere cupio. Quod ferulam loris mutaueris, etiam impensè gaudeo. Nec hoc tantùm, sed rectè istud à te factum, ac magna cum ratione, quamuis nullam habeas; multoque iudicio, etsi prorsus eo careas, prouisum arbitror. Etenim quî scires tibi iterum cum lorariis confictandum esse, ac meminisses male ab illis te in priore conflictu acceptum fuisse, si ex æquo certare velles, & ne tã impar in posterum congressus esset, paria arma sumenda vidisti. Quid enim ferulæ aduersus lora

potuissent? Verùm vt meorum vires ac virtutem lorariorum noui, valde vereor vt hoc parum tibi prosit, ac ne nouis multis insuper ad veteres additis plagis, pro Mastigophoro, mastigias ad Scholam tuam reuertaris, atque iterum ferula resumpta inter discipulorum cateruas regnare tutius putes, quam in hac arena litteraria cum lorariis versis armis depugnare. atque ita sine dubio futurum est. Tu vero vt fiduciam quamdam falsam, & inanem securitatem intrepidi pectoris præ te feras, metumque quo mutus es, dissimules, vrbanum interdum, & iocosum, ac lepidum hominem nobis te fingis. Sed audi me, magister, & mihi crede, cum ad omnia sis ineptus, nulli rei minus aptus es quam salibus & iocis. Mater tua te maledictis potius latrandis canem improbum, quam dictis dicendis hominem argutum peperit. Nam siue amara iacere, seu salsa spargere tentas, in vtroque pariter iners & insulsus ostenderis. Nihil felle tuo ignauius, nihil sale dilutius. Hoc inde vitium habes, quia nimis pædagogus es. Ita solet istud genus, quum facetos facere volunt ridiculi fiunt. Hac ficta animi confidentia quæ sub vultu tremit, tegi posse sperasti, tot pudendos errores, tot stupendas hallucinationes, tot pœnitendas alogias, tot horrendas imposturas,

tot ridendas ineptias, quibus omnibus Animaduersa tua cum scaterent, ad speciem perpauca tantum de multis ad quæ responderes, hinc inde saltuatim legisti. Vt sic vero respõderes, & ne singulis occurreres, vt valdè astutus es & capitalis, artem etiam lepidam callidè reperisti. At tu temporis breuitatem prætexis & foliorum quæ tibi habere licuit, paucitatem. De temporis breuitate, Cercoeti, vt præter te possis accusare neminem, ita te nemo posit excusare. Cum laxius tempus & largius arbitratu tuo tibi sumere liceret, cur tam angustis & iniquis spatiis excludi te passus es? Numquid ignis fores obsidebat vt per fenestram præcipitandus fueris? An nesciebas caniculam præ nimia festinatione cæcos semper catulos parere? De foliorum paucitate quod causaris, nec videris hcic mihi penitus extra culpam esse. quid enim? qui pauca illa tradiderunt, an non potuerunt omnia tradere? cur cessasti? cur ipsi tibi defuisti? & prece & pretio id contendendum fuit. tanti noluerunt dare? at tanti dedissent. Profectò hoc ego si scissem te laborare, curassem vt primo quoque tempore, & gratis haberes. Ne quid iterum inde moræ ac difficultatis tibi properanti obijceretur, mandaui operis meis in huius libelli editione vt chartas adhuc ma-

didas & à prælo sudantes ad te statim deferrent, quo centesimus ille Mastigophorus, quē tu minitaris, & nos desideramus, maturius exeat. Lentum quippe hoc negotium fore prospicio, nisi quis te adiutet, & currenti veredarios ante præparet, & adornatos sistat. Quamuis enim meditationes istæ tibi citius quam canes in talorum iactu, excidant, scis tamen haud admodum in expedito esse intra vnius anni spatium centum mastigophoros quamuis leuis armaturæ, comparare, instruere, & ad campum producere. Certè de Animaduersis gloriaris sexto die ad summū ea te absoluisse. Nisi hoc ipse diceres, ac nisi te veridicum in primis esse scirem, non crederem. Ain tu, Cercopetaui, te tantum tēporis in illis detexendis consumpsisse? Hoc mihi profectò, dum eorum texturam sic leuidensem & friuolam iterum iterumque considero, maximè mirum videtur. Multos enim fatuos ac futiles noui, qui tantumdem nugarum, vel intra dieculæ vnius hibernæ moram, facile poterant funditare. & sanè stultus labor est ineptiarum. Non arte igitur nec materia, sed solo labore spectandum tuum illud Animaduersorum opus Hexaemeron. Atque ideo fortasse non mirandum ea tam felici fato fuisse, vt publicam omnium commendationem, &

fauorem, ſicut ipſe iactas, meruerint. quæ tanta quidem fuit, vt homo modeſtus prædicare id non audeas, ne glorioſus videaris. Verum vt eorum pretium ac ſpectatio clarius appareat & emineat, ſingula Animaduerſorum capita cum ſingulis Confutationis capitibus cenſeo conferenda. Nam admota contrariis contraria lumen ſuum magis oſtendunt. Hæc cum ita ſint, Cercoeti, te tam perfectis & abſolutis illis Animaduerſis tam paucos, & adeo negligentes appoſuiſſe defenſores quos & eorum Confutationi opponeres, pene mihi dolet. Profecto hanc præclaram & diuinam lucubrationem quæ ſex dierum labore auctori conſtitit, ita te maxima ſui parte indefenſam & improtectam reliquiſſe, non minus tibi quam Petauio pudendum eſt. Quid enim bini illi Maſtigophori cum ſuis Elenchis præſtiterunt? Nugas egerunt. Certè tam putidè, tam ineptè, tam ignauè miſera illa Animaduerſa defendunt, & quod maxime ex illis tueri volunt ita leuiter tutantur, vt ipſi nihilminus quam tuti tectique videantur. Præterea, cur ea non tota nec ab omni latere protegenda ſuſceperunt? ſed facile id ac libenter ignoſco: iſto numero, & viribus non potuerunt; teque etiam propterea magis excuſo: quis enim ſanus velit, quæ ſe non poſſe

sciat? Rursus autem mihi, quam insanus sis, cogitanti, & illa consideranti qualia sint, quæ reposuisti, quod non similiter ceteræ Confutationi responderis, quia poteras, minimè ignoscendum aut excusandum arbitror. Magna sane me delectationis spe, quam animo iam multo ante præceperam, deiecisti. Expectabam quippe non sine risu & voluptate, confirmatum à te iri, conchylium virere, smaragdum purpura florere, filum vnum retis instar habere, cæruleum heliotropium lutei coloris esse, canes marinos sibilare, scopos esse fulcra, Bombyces in medio aere sine fulcris texere, χρυσοῦν dici qui χρυσὸς est, purpuram floridam pro diluta sumi, accubita poni pro accubitalibus, aerem balnei eumdem eum solio esse, genus optimum mellis, & quod per se fluit acetum idest ὄξος appellari, ὠὰ rectè in Latinum verti oua, Romanos in publico tunicatos fuisse, & alia innumera quæ in Animaduersis validè affirmabas, confutata vero à nobis pro nihilo duxisti confirmare. Atqui id maxime volebam. Sed illa fortasse iam vetera nimis, & obsoleta. Itaque ne cito obliuisceremur te bipedum omnium qui hodie viuunt esse bipedem imperitissimum, memoria nostra tibi fuit excitanda recentibus, & inauditis adhuc, atque ineditis mirabilis

rabilis cuiusdam imperitiæ notis. Hinc est quod in secũdo Elencho docere nos conatus es miliarenses argenteos duarum siliquarũ pondus habere, auri & argenti proportionem & æstimationem eamdem fuisse, campagum partem caligæ esse & caligam campagi, & infinita talia, quæ nullo quidem labore tibi fluunt, nostris vero lorariis multo sudore statura sunt. Sed pauperis est numerare pecus. Qui scire volet & colligere quantum & quoties in vna pagina ineptus sis, & hallucinator, percurrat Animaduersorum Confutationem, & hanc gemini tui Elenchi refutationem, per omnes artes cognoscet te stupiditatis, & inscitiæ tuæ insignia circumvexisse. In coloribus videbit, te conchylium cum smaragdino confundere, cum viridi purpureum: In re vestiaria, pallium à tunica non discernere: in calceolaria, campagum cum caliga simul suere, calceum à solea non distinguere: in re nummaria, aurum & argentum paris ponderis pari pretiò taxare: in Grammatica, παλαιπῖον pro paruo talento cudere, & fulminastrum pro fulminatore condere: in Rhetorica squallorem orationis cum nitore eumdem præcipere: In Chronologia, Augustum Cæsarem Plauto antiquiorem tradere: in Historia naturali animalium, canem ma-

rinum pro muræna obtrudere: in Medicina, λυκάνθρωπον cum homine iocoso eumdem facere: & post omnia, ne quid falsitatis deesset, pro Petauio nobis Cercoetium imponere. En quot eadem diuersa, quot vera inuersa, tam in tua persona quam in doctrina occurrunt! Conchylium & smaragdus idem sunt: caliga & campagus idem: sandalium & calceus profundus idem. Aurum idem cum argento: talentum idem cum pecuniola: canis marinus cum muræna: δυσπινὲς idem quod εὐπινὲς. Idem Aremoricus quod Aurelianensis; idem Antonius quod Dionysius; idem Cercoetius quod Petauius. Ad hæc tam multa eadem quæ minime eadem sunt, sed toto genere diuersa, vnum addam verissimum, idem esse Petauium & fatuum, Cercoetium & imperitum, & vnum eumdemque cum Cercoetio Petauium. Vale itaque Cercopetaui, & de centesimo illo Mastigophoro quem pollicitus, caue sis obliuiscaris, ac memineris properato opus esse, si ante vertentis anni finem extrudere illum postulas, sicut promisisti: scis enim nouem & nonaginta Mastigophoros tibi dandos, priusquam ad illum promissum, & expectatum centesimum possis peruenire. Iterum vale.

AD LECTOREM.



Andide Lector, vt ſcias non tam hebetem & obtuſum eſſe Cercoetium, quam mihi à primo viſus eſt, ac tibi videri volui, iam dabo ſi vis accipere, quo illum deinceps pro cato & acuto viro iure poſſis habere. Accipe igitur. Maſtigophoro primo duobus ille tantum ac vix duobus Confutationis noſtræ capitibus reſpondet, & cauſam prætexit hanc, quod plures paginæ editæ tũc non eſſent. Illæ ſunt paginæ quæ ad Petauiũ propriè ac præcipuè pertinebant. Scilicet tãtum amauit Petauium Cercoetius, quantũ nec ipſe ſe, vt pote quem prius defendere laborauerit, quam Cercoetiũ. A pagina itaque nonageſima ſecunda incipit perorare. Ceteras quæ pręcedunt, vel non habuit, quia fortaſſean editæ non erant, vel non habere curauit præ ſtudio & amore ſolius defendendi Petauij. Sed aiunt vulgo mendacem memorem eſſe oportere. Pagina 26. Maſtigophori primi citatur pag. 247. Confutationis meæ, quæ in eſchatocollio habetur. Atqui ſanctè iurabat Cercoetius ſe particulam tantum meorum habuiſſe cum illa ſcriberet, ac multa ſibi adhuc folia defuiſſe, quę nondũ typis erant modulata. Sed huiuſmodi diminutiuis gaudet ille. ſic particulam vocat, quæ pars longè maxima eſt, imo totũ, vt pecuniolam alibi vocauit talentũ. Verum hoc illi concedamus & credamus, vt

quæ vidit, non viderit, quid de ſecundo Maſtigophoro dicturus eſt, vt credulitatem noſtram aliquo ſaltem titulo, ac ſpecie lucrifaciat? In Epilogo ſcribit ideo ſe ſeptem tantum folijs Confutationis obuiam iuiſſe, quia plura habere non potuerit. Qui in priore Elencho iam omnia viderat & habuerat, cum nondum Confutatio prodiiſſet; poſtquam edita & publicata eſt, plura ſeptem foliis adipiſci non potuiſſe, ſi credibile eſt, age hoc etiam credamus. Mitto cetera quæ prętermiſit, nollem vero in ſecundo Elencho ſic illum à pagina 125. ad 193. repentè vno ſaltu tranſcendiſſe. an & ibi paginę non ſuppetebant? ita quidem dicit, & credere etiã lubet, ne quid de facilitate noſtra, quam ſemel mentienti commodauimus, retractemus. Sed etſi præſto fuiſſent, neceſſario tamen transeundæ fuerunt, cum propter *cataclista*, tum alia nonnulla, quæ feſtinanti odioſa nimis & importuna occurrebant. Sed iam puto lector, quęris & exigis quod initio me daturum promiſi de aſtutia Cercopetauij. Et quis non videt hanc illum ideo fallaciam callido commento inueniſſe ne ſingulis Confutationis capitibus, & paginis κατὰ πόδα reſponderet? Fortaſſe tamen non tam aſtutus fuit, ſed illa ad quæ nondum reſpondit, idcirco reſeruauit, vt materies ſuppeteret ſeptem & nonaginta inſtruendis maſtigophoris: nam cum iam duos dederit, tot reſtant ad centeſimum quem annuum promiſit. & breue eſt. Sic toto anno nec mihi nec amicis charta defutura eſt ad illos vſus quibus ſpurca & nugatoria ſcripta eius digna ſunt. Vale.



ADVERSVS ANTONIVM CERCOETIVM MASTIGOPHORVM.

PRIMA PARS.

Inscitia Petauij, mendacium, quid sit ὁρμάζειν ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις.

CVR me qui Franciscus Francus vocor ingratiis Salmasium vis esse Cercoeti, cum tu nolis esse Petauius? Barbarum ingenio & moribus Salmasium illum haberi vis. quid ita, Cercoeti? an quia non est Aremoricus? Duæ res illi vt video à ciuilitate obstiterunt, & quod non est in Aremoricis natus, & quod Petauium non habuit vel alium aliquem de societate magistrum. quod sub illis præceptoribus discitur, nihil nisi ciuilitas est, vt ipsi puri sunt & illibati ciuilitatis & modestiæ fontes. Sed iterùm quæso, quare barbarus ille Salmasius? an quia Petauium incessit & reprehendit? hoc verùm est. Ego qui idem facio ad barbaros quoque scilicet relegabor. Hominem certè valdè ciuilem & vrbanum repre-

hendimus. An non hoc barbaries est? Dicis Cercoeti Petauium à me reprehendi quod in Epiphanio quid esset ὁρμάζειν ignorare se dixerit. Falleris, amice, non hoc in illo reprehensum est. quoties ignorantiam suam fateri volet, securus abibit. Sed culpæ notam ideo meruit, quod cum ignoraret quid esset ὁρμάζειν mutare voluerit in ἁρμόζειν. Verum postmodo idem se correxit & ὁρμάζειν fortasse retinendum pronuntiauit, vt γλωσσηματῶδες esset vocabulum. Cercoeti qui Petauium nunc defendis, ita vt nolis esse Petauius, an quicquam vidisti imperitius? vt ὁρμάζειν γλωσσηματῶδες verbum sit? ex qua glossa aut dialecto vox illa prodiit? an Lycij, an Pamphylij, an Cappadoces, an Cretes ita loquebantur? Voces enim eiusmodi ex variis Græciæ gentibus petitas, quas plerumque antiqui poetæ & scriptores vsurparunt, γλώσσας & γλωσσήματα vocabant. an sic intellexit cum ὁρμαζειν γλωσσηματῶδες esse dixit? Explicet nobis γλωσσηματῶδες illud suum, quoniam quid esset ὁρμάζειν explicare non potuit. Nam sanè valdè ciuiliter hîc pro tuo Petauio, hoc est pro te ipso mentiris Cercoeti, cum dicis illum in Animaduersionibus quid esset ὁρμάζειν explicasse. Vbi ille vel vnum verbulum fecit quo verbi illius γλωσσηματώδους vim ac notionẽ nobis aperiret? quare sic diceretur aut vnde? ὁρμάζειν vt Salmasius eum docere potuit, atque ego post Salmasium in confutatione tuorum Animaduersorum docui, vocabulum recentioris Græciæ ἀπὸ τῶν ὅρμων, hoc est à monilibus vel arris sponsalitiorum deductum, quod subarrare, &

deſponſare virginem ſignificabat. An hoc Petauius docuit, Cercoeti, vel in ſomnis vidit vt doceret? Pro multis furtis quæ Salmaſio Petauium feciſſe nuper tibi Cercoeti, obiectabam, nullum diluis, ſed vnum regeris quod Salmaſiũ Petauio feciſſe criminaris. quę Salmaſius de magnis myſteriis ad Hiſt. Aug adnotauit ea omnia ex notis Petauij Themiſtianis ſumpſiſſe. quid Cercoeti? Putaſne Salmaſium tanti facere Petauiana commentaria, aut tantum ei ab re ſua otii ſupereſſe vt in nugis Themiſtianarum Notarum tempus ſuum conterat? Quid in illis dignum bonarum horarum diſpendio? quid niſi futile & nugatorium& triuiali moneta percuſſum? Nunquam ſane ego illa legeram, ſed à te admonitus vt de magnis myſteriis locum cognoſcerẽ, incidi forte in paginam 330. vbi hæc verba Themiſtii: ἀκούετε αὖ πάλιν ῥῆσιν ἐλέγαν οὐ τὴν ἀπὸ Σκυθῶν, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ Σταγείρων, καὶ εἰ σμικρολέγα ἐστὶν ἀλλὰ ἀκούετε, ad quæ verba ſic notatum à tuo Petauio reperi: *quid hîc Scythia opus eſt? an quia tum imperator illis in partibus erat?* ſcilicet ille bonus vir quid eſſet ἡ ἀπὸ σκυθῶν ῥῆσις ex vulgatiſſimo Prouerbio Græco non intellexit. atque huiuſmodi ſunt ceteræ omnes obſeruationes aut pueriles, ſiue pædagogicæ, aut falſæ. Quæ de myſteriis obſeruauit paulo doctiorem Pædagogum ſapiunt, nam & πολλάκι καὶ κηπουρὸς ἀνήρ. Sed quam melius, quam plenius, quam certius rem eamdem Salmaſius tractarit in Notis ad Hiſt. Aug. ſcriptores, lectio earumdem patefaciet, tum & lector iudicabit an veriſimile ſit ſuppilatum fuiſſe in eo tractatu Petauium à

Salmasio. de *portarum institutione* & *suspiriis portarum*, quæ in loco Tertulanico ineptissime tuus Petauius, hoc est tu Cercoeti defendis aduersus Scaligeri coniecturam & veterum librorum scripturam, nos alibi. Nec enim possis dicere hanc illam tuam ἀχειπίαν etiam suffuratum esse Salmasium, ac tibi surripuisse.

De memorialibus locus Epiphanij rectè emendatus. ὀυὰ quid sit. inscitia & peruicacia Petauij.



AN non verum est quod dixi te *μνωραρίοις* in Epiphanio legere, quasi *Memorarios* vocet qui *memoriales* sunt? Sed illud falsum esse docui & ineptum vt *memorarios*, vsurparit Epiphanius pro *memorialibus*, legendum itaque μνωρεαλίοις pro μνωραρίοις. an negabis hanc veram emendationem, tuam falsam? quid me igitur calumniæ & mendacij arcessis & non teipsum potiùs inscitiæ & impudentiæ?

De voce ὀυὰ bone Deus, Cercoeti quàm peruicaciter ineptus es cum tuo Petauio? iterum lorarios videre vis. Ecce præsto sunt. *Ouationem* dictam esse ab huiusmodi vocibus quæ in Bacchi sacris acclamabantur pertendis. concedamus. Sed quis te docuit in sacris Bacchi acclamatum ὀυὰ aut *vah*? num Dionysius? Nihil ille vspiam tale. εὐὰ εὐά acclamationem fuisse Bacchicam omnes auctores scribunt. inde verbum εὐάζειν. Sic Latinis, *Euantes orgia circum*. Festus qui ab eo clamore quem faciunt redeuntes ex

pugna victores milites geminata ô littera ouatioñe deducit, quid pro te facit? quid illud ô ô geminatum ad *Eua* pertinet, mysticam sacrorũ Bacchicorum acclamationem? aut quid ad ἰουὰ, quod est *Vah*, vt ἰουαὶ est *Væ*? quũ Neroni ab Senatu & populo acclamatum ἰουὰ, non simpliciter nec tãquam triũphanti hoc illi acclamatum est, sed πυθιονίκα ἰουὰ, ὀλυμπιονίκα ἰουὰ, quasi Olympionicæ & Pythionicæ summo. & erat, vt dixi, admirationis, non hilaritatis aut festiuitatis acclamatio, vt tuus stultè nugatur Petauius. an cum Sophistis sui sectatores ἰουὰ καὶ θαυμαστῶς acclamabant, triumphalem illam acclamationem fuisse censes? Sed mouete huc vos lirarij, nullæ illum rationes mouent, nec vos moueat quod nũc est mastigophorus, mastigias vt sit facietis. De πλαδυχῶς, quod etiam defendis, platicè sanè nugaris, & πλατὺ γέλωτα mihi suscitasti. Sic à βαρὺς, inquis, fiunt βαρυκαὶ apud Vitruuium. O infrunite, si sensum vel veri Cercopitheci haberes, profectò scires apud Vitruuium non *barycas ædes*, sed *baricas*, scribi & appellari debere à voce βάρις, quod genus est ædificij rotundi. Hoc te in confutatione docui. Sed πλατυχῶς, inquis idem, magnus Scaliger scribere consueuit. Itane tibi nunc magnus Scaliger ô Petamocercoeti? Non tuus nunc es, nec tuæ spontis es, cum eum virum magnum vocas. Sub larua Cercoetij saniorem mentem geris, quãtum ad hunc solum Scaligerum attinet, quam cum apertè Petauium profiteris. Verum ille magnus Scaliger cum πλατυχῶς vsurpat, errat, quod illi ignoscendum. In te qui admonitus non solùm non

agnoſcis, ſed etiam tueris errorem, hoc multis loris expiādum. Nec lorarij longè, qui πλατιχῶς, heîc officium ſuum facient.

Κρύψις *& fraus Petauij detecta: eiuſdem inſcitia & peruicacia.*


ÆRes Cercoeti cum tuo Petauio ſuper iſto de Audianorum Hæreſi Epiphanij loco, & quā valde hæreas haud ipſe diffiteris. quid enim aliud clamant tot illa verba quæ funditas, vt effugium aliquod tibi captes. fruſtra id cupis, nam certè captus es. aues illas imitaris quarum alas viſco tetigit auceps, quanto magis expedire ſeſe conantur, tanto magis impeditæ tenentur. Epiphanius in Anacephalæoſi de Audianis ſcribens ita loquitur: οὐ συνεύχονται δὲ ἡμῖν, ψέγοντες τοὺς παρ' ἡμῖν ἐπισκόπους, πλουσίους καλοῦντες καὶ ἄλλους· Hoc Petauius ita vertit: *Nam epiſcopos noſtros, nec non & diuites, aliosque condemnant.* Hanc verſionem cum me mirari dixiſſem adeo à Græcis diſſidentem, ita vt verbum illud καλοῦντες omiſſum fuerit, cauſam pro Petauio nūc reddere conatur Cercoetius, & ideo Petauium conueniſſe ſe dicit, vt ex eo diſceret, qua ratione ductus ita vertiſſet. Cercoetius igitur Petauium conuenit, hoc eſt Petauius conſcientiam ſuam perrogauit. quid hęc illi reſpondit? Anacephalæoſin Epiphanij, collectionem eſſe omnium indiculorum ſiue capitulorum, quæ ſingulis Hæreſeon tomis ab eo præmiſſa fuere, Ca-

pitula illa quæ in Anacephalęoſin ab eo reda-
cta ſunt, parum differre ab indiculis & breuia-
rijs quæ ſparſim habentur præfixa tomis Here-
ſeon. Hoc cum videret Petauius, vt laborem
bis eadem interpretandi deſcribendique lucri-
faceret, curauiſſe, & ingenioſe admodum ac
magna arte prouidiſſe vt interpretatio breuia-
riorum quæ ſparſim habentur, ſeruire poſſet &
illis breuiarijs, quæ in Anacephalæoſi conti-
nuata ſunt. Ita factum vt cum eadem ſparſis
indiculis quæ in Anacephalęoſi continuatis,
verſio examuſſim reſpondeat, pauciſſima ve-
ro aliter in Græco Anacephalæoſeos, quam
in tomorum initiis concepta ſint, interdum diſ-
ſimile aliquid appareat: ex his pauciſſimis fuiſ-
ſe illud κελουῦτες, quod in indiculo tomi primi
libri tertij p. 808. non extabat. Hæc partim ex
verbis tuis, partim etiam ex ſenſu & mente Pe-
tauij collegi. Atque hanc Petauij purgationem
plenam ingenuæ ſimpliciſſimæque veritatis à
te illico fidem expreſſiſſe nobis hîc ſimpliciter
narras Cercoeti. profecto non miror, ſi tam fa-
cilè Cercoetus aſſentiatur Petauio, & iniurato
etiam credat. nouit ipſe ſe Simon. tibi, Cer-
coeti, qui Petauius es, Petauium pro bono viro
& minimè mendaci habere fortaſſe permiſſum
ſit, mihi qui fidem eius ſubleſtam in multis ſum
expertus, haud ita credulo eſſe liceat. & ſanè hic
vbi magnam illius hoc eſt tuam ipſius ſimplici-
tatem & ingenuitatem prædicas, maximam ip-
ſe fraudem & impoſturam deprehendi. In Epi-
tome Audianæ Hæreſeos hæc leguntur verba:
οὐ συνεύχονται δὲ ἡμῖν ψέγοντες τοὺς παρ' ἡμῖν ἐπισκόπους.

πλουσίους καὶ ἄλλους versio Petauiana: *Nam Episcopos nostros, nec non & diuites aliosque condemnant.* Hanc ipsissimam versionem accommodasse se breuiario Anacephalæoseos, per Cercoetum narrat nobis Petauius, hinc esse factum vt verba breuiarij in Anacephalæosi licet aliquantulum dissimilia sint, eandem habeant interpretationem: ita enim ibi legitur: ψέγοντες τοὺς παρ' ἡμῖν ἐπισκόποις πλουσίοις καλοῦντες καὶ ἄλλοις. Sed rogo te Petaui per Cercoetum itidem mihi respõde si vtrique breuiario eadem, & per omnia sibi respondens interpretatio aptata est, si hoc ipsum operis mandaueras, vt exemplum ad quod æneos typos dirigerent, diligenter seruarent, si ex eo postea folia illa legens quibus indiculi continebantur, ea glutino commisisti, vt Anacephalæosi eadem interpretatio adponeretur, quî fieri potuit illud, vt in vtroque breuiario, cui eandem omnino seruire versionem voluisti, tam diuersa tamen reperiatur interpretatio eorumdem plane verborum? sic enim in vtroque indiculo habetur scriptum: κέχρηνται δὲ καὶ ἀποκρύφοις πολλοῖς κατακόρως. Hæc verba in indiculo quod Audianæ Hæresi præpositum est, ita redduntur: *Apocryphis libris & multis & ad fastidium abutantur.* In illo autem Indiculo quod in Anacephalæosi extat, hæc illorum legitur versio: *magna est apud illos Apocryphorum librorum copia.* Magna hîc interpretationũ diuersitas in similibus & ijsdem prorsus verbis. Cum eamdem dicas vtrique adpositam interpretationem, folijs ad hoc seruatis & glutinatis, quis postea mutauit? an verba ipsa

ſua ſponte ſede ſua ſe commouerunt? ſi mutaſti ipſe, quid illa quæ mutatione non indigebāt, quibus eadem verſio optimè conueniebat ſollicitabas, quæ vero eandem interpretationem admittere non poterant, cum eadem interpretatione relinquebas? cur, inquam, ſimilium verborum diſſimilis verſio, diſſimilium vero ſimilis interpretatio non in eadem pagina ſed in eadem pœne periodo relicta eſt? ita enim in vtroque breuiario ſcriptum eſt: κέχρηνται δὲ καὶ ἀποκρύφοις πολλοῖς κατακόρως· οὐ συνεύχονται δὲ ἡμῖν, &c. prior pars quæ in vtroque Indiculo ſimilis eſt diſſimilem habet verſionem, altera vero οὐ συνεύχονται δὲ ἡμῖν, quæ in vtroque variat, eamdem tamen ſortita eſt interpretationem. Vafrum ſanè illud & ingenioſum commentum de folijs ſeruatis & glutino commiſſis, quo ad ſe purgandum vſus eſt Petauius tuus, ô Cercoeti, ſed quam verum ſit, quam ſimplex & ingenuū, iudicent naſutiores. Hæc omittamus, ad rem veniamus ipſam. In Epitome quam Audianorum Hæreſi præfixit ita ſcribit Epiphanius de Audianis; οὐ συνεύχονται δὲ ἡμῖν ψέγοντες. τοὺς παρ' ἡμῖν ἐπισκόπους πλουσίους καὶ ἄλλους. Ita in Græca Baſilicenſi, & in manuſcriptis codicibus extare tradit pro Petauio Cercoetius. omnes, inquit, poſt ἐπισκόπους diſtiguunt, & πλουσίους ſeparāt, hoc ſenſu quem Petauius expreſſit: *communes nobiſcum orationes non habent, nam Epiſcopos noſtros, nec non & diuites alioſque condemnant.* Ego ὑποστιγμὴν collebam atque ita legebam, ψέγοντες τοὺς παρ' ἡμῖν ἐπισκόπους πλουσίους καὶ ἄλλους, hoc ſenſu vt Epiſcopos diuites & alios è clero pariter diuitiarū cu-

pidos damnauerint Audiani, & hanc causam secessionis habuerint. stolidissimum hoc esse Cercoeti dicis, & præter Epiphanij mentem & Historiæ veritatem. Rogo te acutissime & veritatis amantissime Cercoeti, de mente Epiphanij & Historiæ veritate nunc sollicitius inquiramus vt videamus vter nostrum stolidior sit, & lõgius abeat ab Epiphanij sensu. Credisne aliud in Epitome & breuiario, aliud in ipso Historiæ corpore aut dixisse, aut dicere Epiphanium voluisse? Scribit in Historia Audianorum Epiphanius cui Epitomen illam præmisit, Audianos factione Episcoporum & aliorum clericorum, quos illi quacunque occasione nimis liberè quasi diuitiarum & lucri cupidos incessebant, ab Ecclesia coactos esse secedere, & à communione orationis sese segregare. Epiphanij de Audio hæc verba sunt: ὃς πολλάκις θεώμενος τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις γινόμενα εἴς προέστωτοι ἐπισκόποι τε καὶ πρεσβυτέροι ἐλεγκτικῶς ἀντετίθει τοῖς τοιούτοις λέγων, οὐ χρὴ ταῦτα οὕτως γίνεσθαι, οὐκ ὀφείλει ταῦτα οὕτως πράττεσθαι. Idem paulò pòst apertius: διὸ τοιαῦτα ὁρῶν ὡς προεῖπον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις λαλεῖν ἠνάγκαζε τοὺς ἐλέγχους, οὐκ ἐσιώπα, εἴ τινα γὰρ εἶδε τῶν φιλοχρηματούντων τοῦ κλήρου ἢ ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον, ἢ ἕτερόν τινὰ τοῦ κλήρου πάντως ἐφθέγγετο. Vides Cercoeti, si quid vides Audium Episcopos & alios clericos, non quatenus Episcopos, sed quatenus pecuniarũ plus æquo cupidos, & diuitiis cumulandis intentos reprehendisse, & incessisse. Vides hanc esse hic Epiphanij mentem. in breuiario quo summatim collegit quæ in Historia de Audianis κατὰ πλάτος posuit, cur aliam vis eius mentem fuisse?

Çur non Epiſcopos diuites, ſed Epiſcopos tantum quatenus Epiſcopos, ab Audianis damnatos facis eum dicere, cum nihil tale in hiſtoria de illis dixerit? Cur enim illi Audiani Epiſcopos ſimpliciter damnaſſent? quia priuatos inquis, habere ipſi volebant. en cor Zenodoti! en iecur Petauiocercoetianum! Hæc ipſa ſeceſſio eſt priuatos habere Epiſcopos, non ſeceſſionis cauſa. atqui hanc vnam ſeceſſionis cauſam Audianis fuiſſe tradit Epiphanius, quod Epiſcopos damnarent, & ceteros clericos: cauſam aliquam oportet fuiſſe quare Epiſcopos & Preſbyteros auerſarentur, at enim eam apertè declarat Epiphanius, quod Epiſcopi alijque φιλοχρηματοῦντες eſſent, & aggerendis pecuniis nimis attentè inuigilarent. quin immò certiſſimum eſt Audium cum ſuis ſectatoribus per vim & factionem diuitum Epiſcoporum, & aliorum clericorum, qui reprehenſiones eius ferre non poterant, ab Eccleſia expulſum fuiſſe, non ſponte ſeceſſiſſe: quod idem Epiphanius teſtatur his verbis: ὁ δὲ οὐκ ἠνείχετο ἀλλ' ἐβιάζετο μᾶλλον ἀλήθειαν μὲν λέγειν, μὴ ἀναχωρεῖν δὲ τοῦ συνδεσμοῦ τῆς μιᾶς ἑνώσεως τῆς ἁγίας Καθολικῆς Ἐκκλησίας. ὡς δὲ ἐτύπτετο αὐτός τε καὶ οἱ ἅμα αὐτῷ πολλάκις, καὶ δεινά τι ἔπασχε βδρυστονήσας, σύμβουλον λαμβάνει ἑαυτῷ τὴν ἀνάγκην τῶν ὕβρεων, ἑαυτὸν γὰρ ἀφορίζει τῆς ἐκκλησίας. Vi & iniuriis Epiſcoporum vnitatem Eccleſiæ rumpere coactum Audium fuiſſe ex his conſtat. Præterea falſiſſimum illud eſt damnatos ab Audianis Catholicos Epiſcopos quod ipſi priuatos & ſuos Epiſcopos habere vellent, numquam enim habuerunt. in monaſteriis incluſi vitam

degebant in quibus nihil separ aut separatum ab Ecclesia Catholica nec in doctrina, nec in politia habebant nisi communionem precum. Propter clerum diuitiis quærendis tunc plus satis attentum, ab Ecclesia sese segregarunt, non Clerum ipsi sibi priuatim cooptarunt, sed post secessionem in monasteriis, & solitudinibus, ab hominum consortio separati viuebant. Ex mente igitur Epiphanij & Historiæ veritate cõstat in Græcis Epiphanij verbis tollendum esse ὑποστιγμὴν, & legendum: ψέγοντας τοὺς παρ' ἡμῖν ἐπισκόπους πλουσίους ϗ ἄλλους. idest, *Damnantes Episcopos nostros diuites & alios è clero scilicet pariter diuites.* Alias minimè responderet Epitome integræ Historiæ. quid enim tam diuersum quam Episcopos ideò tantum damnare, quod sint Episcopi, vel eos reprehendere quod diuites sint? An Audius vir sanctus & optimæ vitæ, & rectè in omnibus de fide sentiens, & qui Ecclesiæ vnitatem retinere obnixe semper studuerit, nec nisi per vim demum & iniurias Episcoporum & Clericorum, vnitatem illam sciderit, Episcopos integros & puros damnasset & ob id tantum quod essent Episcopi? quid tam contrarium Epiphanianæ de illo Audio & Audianis narrationi? de diuitibus idem est, cur enim diuites illi quatenus diuites damnassent? an diuites in Ecclesia omnino esse nolebant? an ideo ab Ecclesia discesserunt, quod aliqui in Ecclesia diuites essent? & cur non potiùs, quod scortatores, quod adulteri, quod luxuriosi & ambitiosi? nusquam sine malæ vitæ hominibus Ecclesia est. at quam multi diuites sunt & optimæ vitæ,

& valde pij & in pauperes erogatores? cur igitur vniuersè diuites damnaret Audius causæ nihil erat. at, inquis, à diuitibus ideo abhorrebant, quod diuitum peculiare sit fœnebre malum. quis hoc tibi dixit, ô fatue, diuites omnes fœnus improbum exercere, immo quam hoc falsum est? Cum diuites simpliciter Epiphanius nominarit, an vis illum per diuites intellexisse fœneratores? quam prodigiosè hoc absurdum! quinam illi postremo alij quos cum Episcopis, & diuitibus vituperare solitum Audiũ scribit Epiphanius? ψέγοντες τοὺς παρ' ἡμῖν, πλουσίους, καὶ ἄλλους· qui sunt isti ἄλλοι, pariter ab Audianis vituperati? cuius generis homines aut cuius sortis? reliqui, inquis, omnes quod cum istis communicarent. facetè. scilicet Audius homo sanctus & Orthodoxus, ita describitur ab Epiphanio, reliquos omnes tunc temporis Catholicos ideo condemnasset, quod cum Episcopis & cum diuitibus communicarent. quid monstrosius fingi potest? vbi porrò huius rei vel in Græcis verbis vel in tota historia Audianorum vllum vestigium? profectò mirificus est interpres ille Petauius tuus, quod in Græcis est omittit, quod non est subaudiendum ac supponendum putat. ineptissime mortalium, nec Episcopos, nec diuites Audiani condemnabant, nec alios qui cum ipsis communicarent, sed diuites Episcopos aliosque clericos reprehendebant. Atque hic est horum verborum sensus, vt ex historia Epiphanij constat. vt sensus quem verbis illis affingis constaret, ita Græcè legi oporteret: ψέγοντες τοὺς παρ' ἡμῖν ἐπισκόπους, καὶ τοὺς πλου-

σίους. Nec enim Greca ſunt iſta ſic ἀσυνδέτως concepta: λέγοντες τοὺς παρ' ἡμῖν ἐπισκόπους, πλουσίους καὶ ἄλλους. Imperitiſſimum Græcè oportet eſſe, vel Cercoetiano vel Petauiano modo qui ſententiam tuam ſuper hoc loco probet. Sed ὑποστιγμὴ in libris omnibus habetur inter ἐπισκόπους, & πλουσίους habetur? quid tum fatue? Numquid illud tuum *necnon* quod loco illius ὑποστιγμῆς interpoſuiſti, extat in Græcis? vt religioſus homo es! Hæc cauſa eſt quare in Oratione de reſurrectione κατέπαυσεν ὁμικὰς θυσίας retinueris & ὁμικὰς celebres reddideris, ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ, ſcilicet, ne diſcederes à veſtigiis ſcripturæ vulgaris. Nam certè nimis audax facinus fuiſſet corrigere, κατέπαυσεν νομικὰς θυσίας.

Minuti de argenteis in Hiſtoria Auguſta. Τὰ λεπτὰ Græcè tam de argenteis quam de æreis, Salmaſius à calumnia Petauij defenſus.

PVſillæ & abiectæ & ſordidæ indolis Salmaſium tibi videri minimè miror: tibi inquam magnifico & excelſo magiſtro qui ſceptrum vibrans ferulę, regnum poſſides in nates puerorum. quis ad hoc faſtigium comparatus, non vilis aut humilis eſſet? Præterea quam ſublimis ac raræ doctrinæ ſis Notæ teſtantur ad Syneſium & Epiphanium tuæ, & poſtrema hæc præcipuè ad Salmaſii Notas Animaduerſa. Sed in iſta tua

ingenii doctrinaque profunditate puteum te puto Cercoeti, quanto altior es tam magis es despicabilis: nam iudicii & sensus communis in omnibus magnam inopiam confiteris. De minutis ac λεπτοῖς mendacium heîc eadem fornace recoquis quam ad hoc ipsum aduersus Salmasium accenderas in Epiphanio tuo. Persuasum antea doctis fuerat *minutos* Latinè & λεπτὰ Græcè nonnisi de ærea moneta vsurpari. vt hunc errorem ex eorum animis euelleret Salmasius ostendit vbique in Historia Augusta *minutos*, de argenteis non de æreis nummis esse accipiendos ita etiam & Græcos τὰ λεπτὰ accepisse de argenteis nempe denariis siue drachmis. At Salmasius nunquam docuit, nunquam dixit τὰ λεπτὰ apud Græcos vbique de argento vsurpari, nec huius commenti auctoritatem vsquam sibi vindicauit, quod tuum impudentissimum commentum est. vbi enim negauit Salmasius τὰ λεπτὰ de æreis nummis apud Græcos sumi? aut quomodo id negare potuisset, cum ad Hist. Aug. ea de re tota dicturum se polliceatur ad vetus Rationale imperii in quo pluries mentio fit λεπτῶν τραχέων, qui nummuli sunt ærei? cum denique sexcenta auctorum loca editorum non editorum possit producere, in quibus τὰ λεπτὰ nummi sunt ærei? Nec illud sane, etsi vellet, poterat ignorare, sic τὰ λεπτὰ χαλκία dici posse, vt τὰ λεπτὰ ἀργύρια. At illud quod a doctis negabatur asseruit, τὰ λεπτὰ apud Græcos etiam pro drachmis & argenteis denariis sumi vt *minutos*, Latinis pro argenteis minutis. Sophisticas heic tuas nugas & cauillationes nihil moramur.

Oſtende Salmaſium negaſſe aliter τὰ λεπτὰ ſumi apud Græcos quam de argenteis, tum tu vicisti.

Calumnia, & impoſtura Petauij.



Vod tuum eſt & Petauianum facis, hoc eſt impudentiſſimè mentiris cum hunc controuerſiæ ſtatum inter te & Salmaſium eſſe dicis vtrum quæ Marcus *minuta* ſiue λεπτὰ duo vocat, drachmæ ſint ac denarii argentei an æreí minuti. Nuſquã hanc Salmaſius controuerſiam mouit, nec ſuper hac controuerſiæ iudiciũ ſuum interpoſuit: ſed vt oſtenderet τὰ λεπτὰ Græcos ſcriptores etiam pro nummis argenteis interdum poſuiſſe, ita quoſdam auctores τὰ λεπτὰ apud Marcum accepiſſe probauit. Rectè ne an ſecus ita illi interpretati eſſent, quærendum tunc non putauit. Nec id ſanè agebatur. quare falſiſſimum eſt quod vis velle Salmaſium duos illos denarios argenteos fuiſſe. Hæc profectò vis eſt. Nuſquam id Salmaſius ſe velle, aut hanc ſuam ſententiam eſſe oſtendit, nec illam interpretationem quæ de argenteis, τὰ λεπτὰ accepit apud Marcum, vel vnico verbo vſpiam comprobauit. An non tu inſignis impoſturarum fabricator es? quod Salmaſius quoſdam ex veteribus τὰ λεπτὰ apud Marcum expoſuiſſe dixerit, hanc eius expoſitioné eſſe inde aſſeris, quo quid fingi poteſt συκοφαντικώτερον.

De

De fragmento Heronis. quid differant λεπτὸν & λεπτεπίλεπτον. δηνάρια pro drachmis non pro nummis æreis apud Græcos.



Ostendi tibi in confutatione tuorum Animaduersorum plerosque Græcorum veterum τὰ λεπτὰ de drachmis accepisse apud Marcum. inter illos Heronem citaui, quem etsi solum haberem, vnus esse pro centum poterat. Epiphanium in eadem opinione esse te docui, qui & anteriores, vt par est sequutus est, & quem posteriores fere omnes sunt sequuti. Itaque Hesychius accepit, ita Isidorus, ita alij plerique: nullum Græcum Lexicon vetus, nullum rei nummariæ vetus extat fragmentum, in quo non habeatur illa expositio qua κοδράντης, siue quadrans, siclus exponitur duabus drachmis valens. sic cum quadrans duabus drachmis valeat, vel duobus minutis, duo minuti hoc est δύο λεπτὰ secũdum hanc interpretationem duæ sunt drachmæ. nulla γραμμικὴ ἀπόδειξις certior est. Heronis auctoritatem eleuas quia is auctor nondum editus est, & cum penes me habere dixi. supposititium itaque putas esse. vt ne diutius in eo errore sis indicare tibi non grauabor, non vnde illud fragmentum acceperim, sed vnde ipse accipere possis. Simile extat fragmentum illi quod penes me habeo in Regia Bibliotheca sub Heronis nomine. Potes adire & videre. Nunc fides mea in tuto est. pergamus. Dicis Heronis verba quomodo à me relata sunt non illud testari quod assero: minuta duo viduæ duos ar-

genteos fuiſſe denarios. Noui ego te: negare poſſes ſolem mero meridie lucere. Verba Heronis hæc ſunt vt à me relata fuere: Σίκλος ἀπὸ τῆς σικελ ἑβραΐδος, ὅ ἐστι ῥοπὴ, ἔχει δὲ δύο λεπτὰ καλούμενα, ἃ εἰσὶ δραχμαὶ δύο, ſequitur paulo poſt: σίκλος δὲ καλεῖται κοδράντης, ἑρμηνεύεται δὲ ἐκ τῆς ἑβραΐδος ἤγουν ἀπὸ δισμος, δύο δὲ δραχμὰς ἔχει. en ſiclus idem cum quadrante! ſiclus habet duo minuta quæ idem ſunt cum duabus drachmis. quid apertius quam & δύο λεπτὰ pro duabus drachmis in Euangelio illum accepiſſe, & κοδράντην pro ſiclo? ſolis fatuis, & duris capitonibus, vt Cercoetio Petauioque hoc minus apertum eſſe poteſt. Sed alio loco ſcribit idem Hero: Μνάσια δὲ εἴπομεν ἐκεῖνα δύο τὰ ὑπὸ τῆς χήρας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον βεβλημένα, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκάλεσε. ex hoc loco arguere, & argutari vis non de argẽteis ſed de æreis nummis duo viduę minutos accepiſſe, quia inquis denarios nominet, quos ex Hilario & aliis nummos æreos fuiſſe conſtat. primùm quis tibi Hilarium de æreis denariis intellexiſſe dixit, & non potius de argenteis? ſed mittamus Hilarium, hunc Heronem diſcutiamus. Paulo ſuprà idem docuit, δύο λεπτὰ δύο δραχμὰς eſſe: ἔχει δὲ δύο λεπτὰ καλούμενα ἃ εἰσὶ δραχμαὶ δύο, qui τὰ λεπτὰ ibi de drachmis hoc eſt argenteis denariis interpretatur, quomodo heîc niſi ipſe ſibi vellet ire contrarius, de denariis æreis τὰ λεπτὰ acciperet? Præterea τὰ λεπτὰ de argenteis tantum accipit: nam ærea minuta λεπτεπτὰ λεπτὰ vocari debere ſcribit, non λεπτά. de quibus porro denariis, & de quibus minutis intellexerit, ſi integra eius verba, vt à me relata ſunt, retuliſſes, dubitationi tuæ, quam ipſe

tibi de industria finxisti, nullus locus fuisset, ita enim ille: δηνάρια δὲ ἦσαν ἐκεῖνα δύο τὰ ὑπὸ τῆς χήρας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον βεβλημένα, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκάλει, τὰ γὰρ ἀσσάρια λεπτεπίλεπτα ἦσαν. vbi manifesto τὰ λεπτὰ qui sunt ac argentei denarii & drachmæ, separat ab æreis minutis quæ ἀσσάρια vocantur & λεπτεπίλεπτα, hoc est minutissimi asses. Postremo quod iugulum petit, Græci auctores nunquam δηνάρια pro nummis æreis ponunt, & præcipuè paulo antiquiores; sed pro denariis argenteis siue drachmis ferè semper vsurpant, vt apud Romanos sumebantur. De quibus porro denariis intellexerit, ipse Hero te docebit. Nã in eodem fragmento minam argenti centum denarios habere scribit: vbi quin denarios de drachmis intelligat nec Cercoetio dubiũ potest esse: μνᾶ δὲ ἐστὶν, inquit, ἀργύρειον ὃς ἐκλήθη ἀργυροῦς δηναρίων ἑκατὸν, ἑκάστου δὲ δηναρίου ἀσσαρίων ἐστὶν ἑξήκοντα· ὁ δὲ ἀργυροῦς μανὴ παρ' ἑβραίοις λέγεται. eadem habent Epiphànius & Maximus, nec dubium quin ab Herone habeant, & δηνάρια pro drachmis euidentissimè acceperunt. idem Hero, siue is est Africanus, vt quidam libri præferunt, in alio fragmento quod Scaliger edidit τὸ δηνάριον non aliter sumpsit: τῇ Ἀττικῇ δραχμῇ inquit, χρηστέον πρὸς σταθμὸν καὶ νόμισμα, ἐπειδήπερ ἰσοδυνάμως ἐστὶ τῇ ἰταλικῇ ἣ καλεῖται δηνάριον ita enim in optimo Codice quẽ vidi legitur. Hęc paulo aliter apud Scaligerũ. idẽ paulo post: διαιρεῖται δὲ ἐκ [illegible] καὶ τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίους εἰς μέρη ἀριβ. ἔχει γὰρ τροπαϊκὰ β. νούμμους δ'. ἀσσάρια ις. Hæc apud Scaligerum etiam corrupta. τροπαϊκὰ vocat victoriatos. Græci veteres omnes recentioresque qui de ponde-

ribus aut re nummaria aliquid reliquerunt, τὸ δηνάριον pro denario Romano argenteo posuerunt, nusquàm pro æreo nummo vsurparunt. qua de re nos alibi. Sed per quam facetus homo es, Cercoeti, cum Origenem, Athanasium, Gregorios ambos, Basilium, Chrysostomum, tibi dari auctores postulas, qui δύο λεπτὰ illa viduæ de drachmis interpretati sint.

Contentus esto, Κερκόεις,
His Κερκε *testimoniis*

quibus hanc rem satis superque videmur asseruisse. Quæris quod nusquam est, quod habes, insuper habes.

τὸ λεπτὸν pro drachma. κοδράντης pro siclo vel didrachmo. locus Heronis expositus. inscitia & peruicacia Petauij.



SVperiori capite satis multis probauimus λεπτὸν apud Græcos absolutè & sine substantiui adiectione reperiri positum, quod heîc confirmabimus, tum etiam planum faciemus planum & impostorem esse Petauium, idque ex verbis eius apertissimè demonstrabimus. Negas Cercoeti, Petauium vnquam inficiatum esse λεπτὸν quandoque pro drachma sumi, sed hoc vnum admonuisse vbicunque λεπτὰ leguntur, non statim drachmas intelligi, sed plerumque minutos æreos, quod Salmasius, inquis, impudentissimè negauerat. Primum impudentissimum hoc mendacium est, quod ais Salmasium aliquando negasse λεπτὰ de nummis æreis sumi. Hoc satis su-

prà confutauimus. nunquam negauit Salmasius τὰ λεπτὰ de æreis nummis accipi, sed probauit de argenteis etiam vsurpari, quod docti viri negabant. Nunc iam faciam Cercoeti, vt fraudem tuam, & malam fidem recognoscas. Negas Petauium inficiatum vnquam esse τὸ λεπτὸν de drachma sumi, at ego tibi ex Petauij verbis ostendá id illum disertè inficiatũ esse. Audi verba eius: *Non illud quidem inficiamur ἀργύρεια λεπτὰ pro argenteis nummis accipi: vt in Glossis illis Basilicorum, quæ solidis nouem ἀργύρεια λεπτὰ tribuũt* CXXV. *sed eodẽ modo λεπτὰ dicuntur quo drachmas alias esse λεπτὰς, alias παχείας auctor est Hesychius in voce λεπταλέον. τὰς δραχμὰς λεπτὰς μὲν τὰς ἐξωβόλους, παχείας δὲ τὰς πλεῖον ἰσχούσας. sed non statim consequens est λεπτὰ pro drachmis simpliciter & sine adiectione sumi.* Hæc ipsissima Petauiana verba, quę bona fide nec tantillum immutata, aut imminuta retuli. His verbis, si Latinè intelligo, fatetur quidem λεπτὰ ἀργύρεια dici de nũmis argenteis, vt in Glossis Basilicis, & λεπτὰς δραχμὰς vt apud Hesychium, sed negat ex his consequi λεπτὰ simpliciter ac sine adiectione pro drachmis sumi. sic apertè inficiatur absolutè λεπτὸν pro drachma accipi. at hic negas id illum vnquã inficiatum esse. Cedo, inquis, scriptorem vllum qui quidem extet qui λεπτὰ simpliciter δραχμὰς appellet. an maioré poscis Epiphanio tuo? quum ille κοδράντην Marci siclum interpretatur, & duas drachmas habere dicit, qui apud Marcum δύο λεπτὰ habere dicitur, an non satis euincit δύο λεπτὰ duas drachmas esse, atque ita se accepisse? cum enim nomina ponderum & nu-

morum quæ in ſacra ſcriptura reperiuntur exponere ſe profiteatur, non potuit alium κοδράντην intelligere, quam cuius apud Marcum mentio eſt. ceteri omnes qui quadranté ſiclum exponunt, & de quarta parte vnciæ argenteę accipiunt, & in illa opinione ſunt qua Epiphanius, duas drachmas quas habet κοδράντης eaſdé faciũt cum duobus λεπτοῖς qui τῷ κοδράντῃ apud Marcũ tribuuntur Omnes autem Græci Latinique ſcriptores qui ante & poſt Epiphanium vixerunt, quique de ponderibus ſcripſerunt, vnanimiter *quadrantem* quartam vnciæ partem interpretantur, & ſiclũm didrachmum eſſe exponunt, qui quartam vnciæ argenteæ partem põdebat. atque vt Marcus, τῷ κουαδράντῃ δύο λεπτὰ, aſſignat, ſic Hero in fragmento, ſiclo δύο λεπτὰ tribuit: ὁ στατὴρ, inquit, ἔχει σίκλους δύο, ὁ δὲ σίκλος ἔχει λεπτὰ δύο, τὸ δὲ λεπτὸν ὁλκὴ μία ἐστίν. ὁλκὴν eſſe δραχμὴν, atque ita Græcis appellari nemo eſt qui neſciat. Epiphanius: καλεῖται δὲ ὁλκὴ ἡ δραχμή. Sic quadrantem & ſiclum eumdem faciunt auctores, & λεπτὸν idem cum drachma. qui omnes vt dixi, de illo quadrante Marci intellexerunt, qui δύο λεπτὰ habere dicitur, non de quadrante nummulo, cuius vſus apud Romanos, & mentio crebra apud ſcriptores Latinos. nam quadrans ille non quarta pars vnciæ ſed quarta pars aſſis, vnciæ vero ſedecima: æreus, non argenteus nummus fuit: minimus præterea æreorum nummorum qui in vſu eſſent apud Romanos, ex quo aſſes quaterni in vnciam cuſi ſunt, Plutarchus: τὸ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νόμισμα κουαδράντην καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Hi ſunt *quadrantes* quo-

rum tam frequens apud Martialem mentio occurrit, quos & nigræ, & plumbeæ monetæ nomine plerumque ſuggillat. Phædrus: *Qui dum quadrantes aggeras patrimonio*, de auaro ac deparco, qui nullũ lucrum quamuis paruũ negligeret, ac per minutiſſimas monetarũ ſordes patrimonium augeret. Hinc *quadrantaria* meretrix quæ minimo corpus vulgat. minimã igitur omnium monetam æream apud Romanos conſtat quadrantes fuiſſe. & hanc rationem putem auctores habuiſſe quare κοδράντην apud Marcum de quarta vnciæ argenti parte, quæ duas drachmas habet, potius interpretati ſint, quam de hac ęrea minima moneta. Nam κοδράντην illum ſuum Marcus δύο λεπτὰ habere dicit, immo δύο λεπτὰ quadrantem efficere. Si quadrantem ibi de Romana moneta accipias, tum non minimus nummus fuerit apud Romanos quadrans, ſiquidem δύο λεπτὰ habeat. ſic τὸ λεπτὸν minus aliquid quadrante, quum bina quadrantem reddant. at Romani ſcriptores præcipuè illius ęui, nullum infrà quadrantem ęreæ monetę genus agnoſcunt, nec nomen habent, quo eam exprimant. ſed hęc alibi fuſius ac ſubtilius erunt diſcutienda. Nunc quęrimus, an λεπτὸν drachma ſit. Vetus auctor fragmenti Budenſis, quod à Camerario vulgatum eſt, λεπτὸν, clarè drachmam eſſe ſcribit, ſi verba eius rectè legãtur, quę in editis corrupta ſunt, nos ea ex veteri Codice ſic corrigenda aſſerimus: ἔχει δὲ ὁ στατὴρ ἥμισυ τῆς οὐγκίας, σίκλους δύο, πάλιν δὲ ὁ σίκλος ὅ ἐστιν ἥμισυ τοῦ στατῆρος, τέταρτον τῆς οὐγκίας ἔχει λεπτὰ δύο, τὸ δὲ λεπτὸν ὁλκὴ μία ἐστὶν, ὄγδοον τῆς οὐγκίας, περὶ ποῦ δὲ καὶ ὀβολὸς κα-

λῶται. Illuſtris ſi quis alius ad hanc rem quam probandam nunc habemus, locus. perperam vulgo legitur, ἔχει λεπτὰ κ', τὸ δὲ λεπτὸν ἑλκῦς μιᾶς ἐπὶ δεκατόν. ex veteri libro quo fragmentum illud continebatur, ita emendauimus. ſtater duo ſiclos habet, ſiclus qui & quarta pars vnciæ & quadrans, duo minuta quæ idē ſunt cū duabus drachmis. τὸ λεπτὸν quod idem cum drachma, octaua pars vnciæ, & obolus à quibuſdam vocabatur, obolus nimirum argenteus. Hæc omnia confirmat ἀξιόπιστον Heronis fragmentum his verbis: ἄλλως δὲ πάλιν μερίζεται ἡ οὐγκία παρ' ἑβραίοις εἰς στατῆρας β'. ὁ δὲ στατὴρ ἔχει σίκλους β'. τὸ δὲ σίκλον ἔχει λεπτὰ δύο, τὸ δὲ λεπτὸν ὁλκὴ μία ἐστὶν. ἐστὶ δὲ ὄγδοον τῆς οὐγκίας, παρὰ ποῖ δὲ καὶ ὀβολός. Sic δραχμὴ, ὁλκὴ, λεπτὸν ſynonyma ſunt, atque etiam ὀβολὸς, vt in confutatione docuimus. Nam & *obolum* de drachma dixerūt, vt non mirū ſit & λεπτὸν drachmam appellaſſe, quā & ὀβολὸν appellarint. Lexicon vetus: σίκλον ὀβολοὶ τέσσαρες intelligit ſiclum tetradragmum. Fragmentum incerti περὶ σταθμῶν. ὀβολὸς ὁ ἐξ ἀργύρου ἄγει γράμματα τρία, ὁλκὴ ἄγει γράμματα τρία: aliud fragmentum: ὀβολὸς ὁ ἐξ ἀργύρου ἄγει γράμματα τρία ὁμοίως καὶ ἀπὸ σιδήρου, καὶ ἄλλος ὀβολὸς καὶ ἐν ἀργυρείοις ἐτετύπωτο. ὄγδοον δὲ ἦν καὶ οὗτος τῆς οὐγκίας. Hic obolus argenti drachma eſt, quæ & tria ſcriptula pendebat, & octaua pars erat vnciæ. Epiphanius in hac voce corrigendus, & tu caſtigandus quia non correxeris: ὀβολὸς καὶ αὐτὸς ἐν ἀργυρείοις τετύπωτο, μετρὸν δὲ εἶχε καὶ οὗτος τῆς οὐγκίας. Quem locum ita vertis: *Obolus inter nummos argenteos ſignari ſolebat, ac pondus habebat vnciæ.* Vbinam legiſti vnciales obolos? Hæc ab-

ſurditas te cogere debuit vt de correctione cogitares. ita porrò legi debet : μέτρον δὲ εἶχε καὶ οὗτος ὄγδοον τῆς οὐγκίας. vna littera omiſſa eſt ἡ, hoc eſt τὸ ὄγδοον. & confirmat id vetus verſio quam vidiſti : *Obolus & ipſe in argenteis formabatur qui erat & ipſe octaua pars vnciæ.* Sic λεπτὸν & ὀβολὸς etiam de argento, & vtrumque pro drachma. Euſebius περὶ σταθμῶν· κοδράντης νοῦμμος ἄγων γράμματα ς'. λεπτὸν ἄγει γράμματα τρία. τὸ λεπτὸν quod idem cum drachma eſt pendit ſcriptula tria. κοδράντης qui δύο λεπτὰ habet, hoc eſt duas drachmas, pendit ſcriptula ſex. in veteri fragmento incerti : ὁ στατὴρ νομίσματα τρία ὅ ἐστι δραχμαὶ δύο, ὃ καὶ καλεῖται κοδράντης. In alio : ὁ κοδράντης καλεῖται σίκλον ἐπὶ δὲ τέταρτον τῆς οὐγκίας. Vetus Lexicon quod eſt in Bibliotheca Regia nõdum editum : Κοδράντης ἐξοστρακισμὸς, ἢ λεπτὰ δύο, ἢ τὸ ἔσχατον τοῦ λεπτοῦ, ἢ ἡ πρᾶξις, καὶ αὐτὸ τὸ ἐνθύμημα. Ita, vt iam dixi, plerique omnes *quadrantem* nummũ eſſe Hebraicũ, didrachmum, eumdem cũ ſiclo, qui quartam vnciæ partẽ faceret, ex illo Marci loco acceperunt, ac proinde δύο λεπτὰ quæ quadrantem efficiunt, duas drachmas interpretati ſunt. Vetus fragmentum Latinum de ponderibus in Antidotario R. B. *Quadrantem Hebræi vocant quadram, quod quartam partem vnciæ appendat.* Auctor incertus de Ponderibus qui cum Agrimenſoribus editus eſt : *Duo quadrantes ſtaterem faciunt, duo ſtateres vnciam reddunt.* Eadem habet Iſidorus. Hæccine ſatis ſunt ad retũdendam tuam pertinaciam ? tam confidens es, vt fragmenti Heronis, quod non vidiſti, rectam tibi arrogare ſuſtineas interpretationem. Hæc

enim verba ex illo fragmento, τὰ γὰρ ἀσσάρια λεπτεπίλεπτα ἦσαν interpretamentum esse dicis istorum, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκάλουν. vt nimirum apud Heronem ἀσσάρια, & λεπτὰ eadem sint, cum denarijs, & ab drachmis diuersa. Locum integrũ Heronis afferre non pigebit, vt isthæc abs te confidentia discedat, & veris tandem concedere discas: τάλαντον τοῦτο, de Alexandrino loquitur, ρκε λίτρας ὑπάρχει, κατὰ δὲ λεπτότητας ἐν τῷ νομίσματι εἰς λεπτὸν κοπέισας εἰς ,ϛ διαιρεῖται ἃ καλεῖται ἀσσάρια, ὃ ἑρμηνεύεται ἐκ τοῦ ἑβραΐδος ἠλαττωμένον. ξ´ δὲ ἀσσάρια ὑπάρχει τὸ δηνάριον, ἑκατὸν δὲ δηνάρια ὁ ἀργυροῦς. δηνάρια δὲ ἦσαν ἐκεῖνα δύο τὰ ὑπὸ τῆς χήρας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον βεβλημένα, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκάλουν, τὰ γὰρ ἀσσάρια λεπτεπίλεπτα ἦσαν Vides eum apertè denarios ab assibus distinguere. τὰ λεπτὰ eadem cum denarijs facere, & denarios drachmas intelligere, qui centeni in minam imputantur, quam ἀργυροῦν vocat. cuius generis denarios hoc est drachmas, quæ & λεπτὰ vocari dicit, à vidua illa in gazophylaciũ fuisse coniectos. Huiusmodi denarios λεπτὰ dici scribit, cum ἀσσάρια, quæ sexagena denario imputantur, λεπτεπίλεπτα potius sint vocanda. τὰ λεπτὰ illa denique quæ cum denarijs eadem facit, drachmas esse paulò pòst asserit his verbis, Σίκλον ἀπὸ τοῦ σεκὲλ ἑβραΐδος, ὃ ἐστὶ ῥοπή, ἔχει δὲ τὰ δύο λεπτὰ καλούμενα, ἅ εἰσι δραχμαί Si denarij quos vidua in gazophylacium cõiecit, λεπτὰ sunt, vt idem scribit; τὰ λεπτὰ vero δραχμαί, quis dubitare possit quin denarij drachmæ sint? quid nunc hisces? ab hac machina qua parum & ipse confidebas, ceu petauro excussus, aliam ineptè moues controuer-

ſiam. Oſtendẽdum nobis eſſe vis, Euangeliſtarũ temporibus τὸ λεπτὸν pro drachma vulgo acceptum fuiſſe, immò tibi, o fatue, huius rei probatio incumbit. tuum eſt oſtendere non ita vulgo Neronis ætate λεπτὸν de drachma vſurpari ſolitum. Oſtendimus tibi Heronem, Epiphanium & alios pleroſque veterum, tam ex vſu temporum ſuorum, quam ex anteriorum ſententia τὰ λεπτὰ pro drachmis in Euangelio Marci accepiſſe, nunc oſtende nobis ipſe, ſi potes, Euangeliſtarum æuo τὰ λεπτὰ pro drachmis accepta non fuiſſe. Hoc ſi præſtare queas, magnus vir eris. & quis enim dubitet quin & Neronis ipſius ętate, vt ſequentibus, τὰ λεπτὰ de drachmis vſurpata ſint, ſubaudiendo ἀργύρεια, vt & λεπτὰ de æreis, ſubintelligendo, χαλκᾶ? Iuuenalis:

— *Conciſum argentũ in titulos, facieſque minutas.*

Per *facies minutas*, τὰ λεπτὰ expreſſit, argenteos nimirũ denarios, ſiue drachmas. Nam & in Hiſtoria Auguſta *minuti* paſſim, & *minuti argentei* pro denarijs ſumuntur. ſic & λεπτὰς abſolutè dicebant de drachmis Atticis & minoribus, vt à maioribus diſtinguerẽt, quas vocabant παχείας. Heſychius: Λεπτὰς, καὶ παχείας Ζάλευκος ἐν Νόμοις, τὰς δραχμὰς, λεπτὰς μὲν τὰς ἐξωβόλους, παχείας δὲ τὰς πλεῖον ἔχουσας. Si λεπταὶ ſimpliciter ſunt drachmę, ad diſtinctionem maiorũ, quidni & λεπτὰ pro ijſdem ſubaudiendo ἀργύρεια, ad differẽtiam maiorum ἀργυρείων Nam & μνᾶ ἀργύρειον de mina dixerunt, & λεπτὸν ἀργύρειον, atque etiam abſolutè λεπτὸν citra adiectionem ſubſtantiui, de drachma, omnium igitur ætatum fuit, vt λεπτὰ dice-

rentur tam de argenteis quam de æreis nummis. distinctionem illam temporum de qua heîc nobis argutaris, reseruandam tibi censeo libro tuo quam paras de temporum antiquitate, ibi & disputabis an temporibus Apostolorum discrimé fuerit inter ὑπόδημα & σανδάλιον & an Apostoli caligati militariter fuerint, vt eos fuisse vis in tuis Animaduersis. .

Quid λεπτὸν, quid κοδράντης, quid ἀσσάριον. loca Hesichij explicata, & illustrata.



TRiumphat heîc Cercoetius. nusquam παιδαγωγικώτερον ϗ ἰταδίστερον exultauit, & insultauit. Plane diceres ab eo castris exutum Annibalem, aut Alexandrum magnum fugatum. teneri amplius non potest. vnde illi tam ampla, ac tam benigna triũphi materies? Exciderit mihi fortasse, si tamen excidit, dixisse semel tantum in sacra scriptura *quadrantis* mentionem fieri, quum bis fiat. Hinc illa plusquam solemnis insolentia quod in re nihili, saltem non magni momenti, memoria mihi imposuerit: ego propterea κτηνώδης, ego stolidus, nemo sic vnquam delirauit bipedum, aut clitellas ferre dignior fuit. Clementer tandem Cercoeti, & ausculta. Volo esse clitellarius brutus, bipedum stolidissimus, & quod hæc omnia superat, etiam cum Petauio Cercoetius, si istic erraui, vbi memoriæ mihi lapsum pro tanto crimine impingis. Quid tibi

fiet, si calumniæ te ipsum euidentissimę conuictum prehendero, aut verba mea te minimè intellexisse conuicero? Nihil aliud volo nisi vt Petauius, sis & maneas Cercoetius. Dixi Epiphanium cum κοδράντην duas drachmas esse exposuit non alium locum respexisse quam illum Marci in quo κοδράντης duo λεπτὰ habere dicitur. sic δύο λεπτὰ duas drachmas esse Epiphanio. cum enim omnia quæ in scriptura sacra reperiuntur nummorum genera, ac nomina, susceperit explicanda, de voce κοδράντης certum est non alium intellexisse quam cuius in sacra scriptura mentio fiat. Cum vero etiam κοδράντην in duas drachmas diuidat, non alium scripturę locum in mente habuisse quam illum Marci apud quem κοδράντης diuiditur in δύο λεπτὰ, nullibi enim extare in scriptura quadrantis mentionem, vbi quadrans duo minuta esse exponitur, quam apud Marcum. Hic sensus meorum verborum, quę si aliter ac debuisti interpretatus es, quod tibi in omnibus solemne est, hoc mihi fraudi esse non debuit. Nec sanè ad rem attinebat scire quam sępe mentio occurreret vocis κοδράντης in Euangelio, sed de quo quadrante intellexisset Epiphanius. Ostendi de alio quadrante non intellexisse, quam de illo Marci Euangelistę cui δύο λεπτὰ tribuuntur. Mentio etiam τοῦ κοδράντης apud Matthæum, quid tum? ibi ἔσχατος κοδράντης nominatur. Tu minimum nummum interpretaris. sic κοδράντης Matthæi non possit idem esse cum κοδράντη Marci. Marci κοδράντης non est ἔσχατος κοδράντης, nec minimus nummus, nam diuiditur in δύο λεπτὰ. igitur illa duo minuta

minora ſunt quadrante, & quadrans dimidio maior vno minuto, & ſanè apud Lucam ἔσχατον λεπτὸν dicitur, ἔσχατος κοδράντης. quod verius eſt. nam cum δύο λεπτὰ ſint in quadrante, τὸ λεπτὸν vltimus & minimus nummus verius quam quadrãs, immo *quadrans* neutiquam vltimus, quum in ſpecies vlteriores & minores diuidatur. tu tamen opinaris Marcum non aliter vocem κοδράντης vſurpaſſe ac Matthæum, quæ magna inſcitia eſt. Matthæo κοδράντης nummus eſt, & quidem vltimus, minimuſque, quod conuenit cum ſignificatione *quadrantis* Romani, qui λεπτότατος fuit Romanæ pecuniæ. At apud Marcum δύο λεπτὰ dicuntur quadrantem efficere. ergo Marco κοδράντης non eſt vltimus, nummus ſed τὸ λεπτὸν. ideoque cum Luca magis conuenit qui λεπτὸν ἔσχατον facit, quam cum Matthæo; à notione vero *quadrantis* Romani prorſus alienum eſt, qui infrà ſe nummum alium non habuit, ſed minimus fuit & vltimus nummorum, qui Romanis vſitati. Præterea conſideranda verba Marci ſunt, qui non dicit ſimpliciter viduam illam κοδράντην in gazophylacium miſiſſe, ſed δύο λεπτὰ, quę δύο λεπτὰ κοδράντην facere ſignificat. per hoc videtur *quadrantis* nomine non minutam illam pecuniam, quæ apud Romanos ſic vocabatur intellexiſſe, ſed quartam partem alicuius ponderis. qua in ſententia fuiſſe veteres omnes interpretes video, & cum duplici quidem interpretatione, quod nemini recentiorum hactenus ſuboluit. & prima quidem fuit eorum de qua iam dixi, qui κοδράντην apud Marcum pro quadrante vncię argenti acceperunt.

Hi ſunt qui δύο λεπτὰ duas drachmas interpretati ſunt. vt Hero, Epiphanius & alii de quibus nos ſupra. nam drachma octaua pars vnciç, duæ drachmę, quarta: hinc δύο λεπτὰ hoc eſt duæ drachmę quadrantem vnciæ argenteæ conſtituunt. atque hic eſt κοδράντης Marci ſecundum illos interpretes. Altera expoſitio eſt quæ κοδράντην quartam partē æris vnciæ ſtatuit. Huius expoſitionis auctor Heſychius, & quos ille ſequutus eſt. Hi κοδράντην de aſſe Romano accipiunt, qui quartam partē vnciç pendebat, & ſic quadrans ſiue κοδράντης vnciæ fuit. Verba Heſychii, quæ multi tentarunt, nemo adhuc tenuit: Κοδράντης τὸ πᾶν ἢ τὸ τέταρτον τῆς φόλλεως, ἢ λεπτὸν, τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου. Hæ tres interpretationes quadrantis, aſſem Romanum omnino deſignant, qui æris vnciæ quadrãtem pendebat, vel duarum drachmarum, quod idem eſt, pondus habebat. illud τὸ πᾶν reſpicit τὸν ἔσχατον κοδράντην Matthæi, nam qui ſoluit vſque ad vltimũ quadrantem τὸ πᾶν ſoluit. id ad ſignificationem aſſis etiam referendum, nam *aßis* etiam τὸ πᾶν, τὸ ὁλόκληρον, *ex aſſe*, *ex ſolido*, & ad aſſem ſoluere dicitur, qui totum ſoluit, & licet as non fuerit minima moneta Romanorum, pro minimi tamen & infimi pretij nummo plerumque ponitur. Catullus:

Omnes vnius æſtimamus aßis.

Perſius, *Centum Grecos centuſſe licetur.*

Ideſt Græculos ſingulos vnius aſſis æſtimat. ſequitur, τὸ τέταρτον τῆς φόλλεως: aſſem manifeſtò intelligit. follis æreus ante Conſtantinum dicebatur de ſeſtertio æris. Follium æris mentio in Hi-

ſtoria Auguſta, qui iidem ſunt cũ ſeſtertiis æreis. ſeſtertius porrò ęreus vncialis fuit, & quatuor aſſibus valebat, hinc & τετράσσαροι vocabatur, & vnciam pendebat, vt eſt apud Cleopatram: καλεῖται δ' ἡ οὐγκία τετρασσάριον ἰταλικόν. Hero ſiue Africanus in fragmento: ὁ δ' νοῦμμος οὐγκίαν ἔχει τῷ σταθμῷ nummum & ſeſtertium idem eſſe ſciunt omnes. vt Heſychius κοδράντην quartam partem follis eſſe dicit, ſic Suidas in Etymologico τὸ ἀσσάριον quartam partem eſſe follis ſcribit: ἀσσάριον τῶ χαλκῦ φόλλεως τέταρτον, ἀσσάριον ἀργυροῦ λεπτὸν ἐστί. aſſem Romanum ſub primis & mediis imperatoribus quartam vnciæ appendiſſe notius eſt quam vt pluribus probari debeat. ſi τετράσσαρον vncia vocabatur, ἀσσάριον vtique quarta pars, ſiue quadrans vnciæ. Hinc & κοδράντης pro aſſe. aſſem τετάρτην vocat Hero in fragmento: ἄγει δὲ τὸ χρυσοῦ τάλαντον Ἀττικὰς δραχμὰς δύο γράμματα ς'. τετάρτας δηλαδὴ β'. perperam vulgò legitur, δ'. Talentum auri Homericum idem tradit fuiſſe cum Darico qui duas drachmas pendebat, ſcriptula ſex, & duas quartas, hoc eſt duos quadrantes vel duos aſſes. nam aſſis Romanus duarum drachmarum Atticarum pondus habuit. idem pondus fuit & aureorum Romanorum ante Conſtantinum, cum quaterni in vnciam cudebantur. Hinc & *ſolidi* aurei hoc eſt aſſes aurei dicti ſunt. nam ſolidus & aſſis idem. de quo nos alibi. ſequitur apud Heſychium in expoſitione Κοδράντης· ἡ λεπτὸν, τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου. τὴν κοδράντην λεπτὸν exponit ille Grammaticus. τὸ λεπτὸν eſt aſſis. ita omnes interpretantur. Epiphanius: ἑξακισχίλια λεπτὰ

περὶ τοῦ ταλάντου, ἃ λεπτὰ καλεῖται ἀσσάρια. auctor incertus περὶ σαθμῶν ἑβραϊκῶν. Δηνάριον ἓν ἑξήκοντα ἀσσάρια ἃ καὶ λεπτὰ λέγεται. Sanctus Maximus περὶ τιμῆς τῶν τριάκοντα ἀργυρίων. λεπτὰ καλοῦνται τὰ ἀσσάρια ἤγουν τὰ νούμια. ἑξήκοντα δὲ ἀσσάρια ὑπῆρχεν τότε τὸ δηνάριον, ἕκαστον δὲ δηναρίων ὃ ἄργυρος. Vetus & optimum fragmentum ἀνέκδοτον, de Ponderibus: λεπτὸν ἐπὶ σαθμίον οὐγκίας τὸ τέταρτον, περὶ οὗ ὁ κύριος λέγει, οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται. ἄσσαρ δὲ ἑβραϊστὶ ἠλαττωμένον καλεῖται. ſic λεπτὸν idẽ cũ aſſe, nam λεπτὸν quarta pars vnciæ, vt aſſis. ita λεπτὸν, & κοδράντης & ἀσσάριον res eadem. idem Heſychius clarè alibi: ἀσσάριον καὶ λεπτὸν ἕν εἰσιν ἤγουν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου, ὅ ἐστιν ἓν ἥμισυ νουμίου. τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντης εἷς, ἤγουν νούμμια τρία nihil apertius dici potuit. as & λεπτὸν idem & vnum ſunt. ſex milleſima nempe pars talenti. ideſt nummulus vnus cum ſemiſſe. duo verò λεπτὰ quadrandem vnum efficiunt, ideſt tres nummulos. priuſquam longius abeamus, heîc difficultas aperienda eſt quæ lectorem morari poſſet. tradit Heſychius in voce κοδράντης, τὸν κοδράντην eſſe λεπτὸν, & λεπτὸν illud ſex milleſimam partem talenti conſtituit. In voce ἀσσάριον, quem locum proximè attulimus, ſcribit λεπτὸν, & ἀσσάριον idẽ eſſe, & ſexmilleſimam partem talenti facere, & δύο λεπτὰ quadrãtem vnum eſſe. ſi δύο λεπτὰ quadrantem vnum efficiunt, quomodo λεπτὸν vnũ idem erit cum quadrante? & hæc verba Marci ſunt, δύο λεπτὰ vnum eſſe κοδράντην. quî fiet igitur, vt vnum λεπτὸν, vnus ſit κοδράντης? Nihil tamen euidentius eſt ac certius, quam κοδράντην & λεπτὸν & ἀσσάριον pro eodem poni, & exponi

apud Hesychium. Præterea, qui ἐσχατὸς κοδράντης apud Matthæum, in eadem Historia ἔσχατον λεπτὸν dicitur apud Lucam. ita vt & κοδράντης & λεπτὸν idem esse videatur. at Marcus repugnat, qui δύο λεπτὰ τῷ κοδράντῃ assignat. constat tamen omnibus illis testimoniis quę suprà collegimus, λεπτὸν & ἀσσάριον idem esse, atque idem pondus habere, quartam nimirum vnciæ partem pendere, ac proinde *quadrantem* vnciæ dici posse, atque ita etiam dictum fuisse. Certè minimè dubium est, quin assem Romanũ Græci λεπτὸν vocauerint, quin κοδράντην multi ex illis pro asse apud Marcum acceperint, quod quadrans esset vnciæ. ita exponere Hesychium indubitatissimum est. assis igitur & λεπτὸν & κοδράντης dicitur, qui diuiditur in alia δύο λεπτὰ, qui sunt semisses. Nam as Romanus in duo semisses diuidebatur, quos semisses δύο λεπτὰ vocare videtur Marcus. si assem λεπτὸν vocarunt, multo magis semisses λεπτὰ vocanda. qui semisses in alia duo λεπτότατα diuisi, in quadrantes nimirum. Nam vt assis duo semisses habebat, sic semis duo quadrantes, de quibus quadrantibus apud Marcum ideo interpretari τὸν κοδράντην non possumus, nec veteres interpretati sunt quod *quadrans* ille qui quarta pars assis & dimidia semissis, minutissimus omnium fuerit nummus, cum Marci κοδράντης in minores nummos etiam diuisus sit. κοδράντην igitur de quadrante vnciæ ibi acceperunt, hoc est de asse, qui duos habet semisses, hoc est δύο λεπτὰ. Ergo vidua illa duos semisses in gazophylacium miserit, quę δύο λεπτὰ vocat Marcus, & quadrantẽ esse dicit, hoc est,

assem siue quartam vnciæ partem. Sic λεπτὸν tam de asse quam de semisse. Atque vtrumque λεπτὸν exponit Hesychius. Quum κοδράντην, hoc est quadrantem vnciæ, siue assem, τὸ λεπτὸν exponit, vt de quo genere λεπτοῦ intelligendum sit explicet, addit, λεπτὸν illud esse, quod est ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου, talentum illud centum viginti quinque libras habere, qua ratione assem Romanum, qui quartam vnciæ partem pensabat, planè designauit. Nam, vt docuimus in Confutatione, cum asses eiusmodi octoni & quadrageni in libram incurrerent, in centum viginti quinque libris sex millia talium assium reperiuntur. Sic assis siue τὸ λεπτὸν huius ponderis sex millesima pars erat talenti. Nihil certius. ita κοδράντης Hesychio, & ἀσσάριον & λεπτὸν, quod est ἑξακισχιλιοστὸν talenti, genus idem nūmi. Addit Hesychius: τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου, ὅ ἐστι νόμισμα ἓν ἢ κόκκοι τρεῖς. Hæc verba, ὅ ἐστι νόμισμα ἓν ad talentum refers, & de aureo solido accipis, vt talentum & aureus solidus in hoc loco sit idem, quod absurdissimum, & falsissimum, iam satis à nobis confutatum est. Illud νόμισμα ἓν ad λεπτὸν referri debet. Nā sequitur statim explicatio talenti: τὸ δὲ τάλαντον λίτρας ἑκατὸν εἰκοσιπέντε. Sed quod heîc Hesychius τὸ λεπτὸν νόμισμα ἓν esse dicit, non ipse secum conuenit, nec id congruit expositioni τοῦ λεπτοῦ, quod idem cum quadrante, cum asse, cum sextamillesima talenti parte heîc apud eumdem esse dicitur. etenim illud λεπτὸν quod est κοδράντης, non vnū νόμισμα, sed τρία νομίσματα habere docet. ὁ δὲ κοδράντης, inquit, νομίσματα τρία. & in voce ἀσσά-

ειον, pro νομίσματα, νουμμία posuit. τὸ δὲ δύο λεπτὰ, κοδράντης ἕν, ἤγουν νουμμία τρία. quare minimè dubium est, quin verba Hesychij corrupta sint. De duobus, quod minimè Scaliger aduertit, λεπτῶν generibus heîc loquitur. τὸ λεπτὸν maius est κοδράντης, & ἀσσάριον, quod & τρία habet νουμμία siue νομίσματα. κοδράντης ille siue λεπτὸν maius subdiuiditur in δύο λεπτὰ, nã δύο λεπτὰ κυαδράντης ἕς. Huiusmodi igitur minuti, qui semisses sunt τοῦ κοδράντου, habent vnum νουμμίον, cum dimidio. nam κοδράντης integer, τρία νουμμία habet. de his λεπτοῖς heîc intelligit Hesychius, cuius ita verba legenda sunt: ἔστι δὲ καὶ λεπτὸν νόμισμα ἓν ἥμισυ, ὃ κόλκοι πρᾶς. idem mendum apud eumdem in voce ἀσσάριον corrigendum est hoc modo: ἔστι δὲ καὶ λεπτὸν νόμισμα ἓν ἥμισυ, τὰ δὲ δύο λεπτὰ κυαδράντης ἕς, ἤγουν νουμμία τρία. κυάδραντης, vt dixi, Hesychio est assis Romanus, quod vnciæ sit quadrans eumdem & λεπτὸν & ἀσσάριον vocat. assis Romanus, quem κοδράντην appellat, in duos semisses diuidebatur, quæ δύο λεπτὰ idem vocat: & tres trientes, quæ τρία νουμμία eidem dicuntur. sic κυαδράντης εἷς, hoc est vnus assis Romanus, δύο λεπτὰ habebat, & τρία νουμμία, hoc est, duo semisses & tres trientes. Apud Romanos postquam assis ad vnciæ quadrantem redactus est infrà assem haud temere nummus æreus cusus est, præter semisses, trientes, quadrantes: qui quadrãtes minimi καὶ λεπτότατοι fuere nummorum æris. de quibus heîc apud Hesychium nulla mentio sed de semissibus & trientibus tantum. Trientis meminit Iuuenalis;

——*Nunc accepit ore trientem.*

& obolum intelligit qui mortuis in os indebatur ad naulum soluendum portitori inferorum. sed hæc nos alibi. Addit Hesychius, ἢ κόκκοι τρεῖς. obolum intelligit qui tres siliquas habebat, & λεπτὸς etiam dicebatur. Nam hæc vox λεπτὸν omnibus minutis tam argenti, quam æris nummulis conuenit. hinc & κεράτιον λεπτὸν esse dicit Priscianus. κόκκοι autem sunt ξυλόκοκκα, siue κεράτια. Myrepsus de Ponderibus: τὸ γράμμα ἔχει κέρατα ϛ' ἤτοι ξυλόκοκκα. ὁ ὀβολὸς ἔχει κέρατα τρία. λεπτὸν porro eiusmodi quod erat semis quadrantis vel assis, ὀβολὸς vocatur Epiphanio, qui octauam vnciæ partem efficiebat: ὀβολὸς, inquit, καὶ αὐτὸς ἐν ἀργυρείοις ἐτετύπωτο, μέτρον δὲ ἔχει καὶ οὗτος ὄγδοον καὶ οὐγκίας, οὐκ ἐξ ἀργύρου πεποιημένος, ἀλλ' ἀπὸ σιδήρου. in alio fragmento: ὀβολὸς οὐκ ἐξ ἀργύρου, ἀλλ' ἀπὸ σιδήρου πεποιημένος ἄγει γράμματα τρία. Hero: ὀβολὸς τὸ ὄγδοον ἐπὶ τῆς οὐγκίας, ἀπὸ σιδήρου πεποιημένος. huiusmodi ærei aboli, quos octauam vnciæ partem habere dicunt, semisses planè sunt antiquorum assium, & λεπτὰ illa quæ bina quadrantem reddũt, hoc est assem, qui quartam vnciæ partem pendebat. Atque hîc erat κοδράντης Marci secundum quosdam qui δύο λεπτὰ habet, hoc est duos semisses vel duas octauas vnciæ æreæ. Syrus interpres *schemona* vertit illa λεπτὰ apud Marcum: quæ vox octauam partem significat. sed tam de drachma argentea, quæ & ipsa octaua pars est vnciæ, quã de semisse vel minuto æreo potest accipi. Itaque hæc expositio Syri interpretis ambiguum illud non soluit, vtrum de argenteis an de æreis minutis τὰ λεπτὰ Marci intelligenda sunt. Vtraque interpretatio suos ha-

bet auctores ex antiquitate. omnes certè in eo conueniunt κοδράντην esse quadrantem vnciæ, non minimum ac minutissimum nummum Romanum, qui quadrans vocabatur. Vetus auctor de triginta argenteis quæ Iudas accepit; κοδράντης ἐστὶ τὸ τέταρτον τῆς οὐγκίας. τὰ τριάκοντα ἀργύρια γίνονται νομίσματα τριακόσια. τὸ γὰρ ἀργύριον ἔχει νομίσματα δέκα, λίτρας δʹ, οὐγκίας β. quod enim scirent infrà quadrantem nummulum, nullum dari pecuniæ genus quod esset inferius, Marci autem κοδράντην viderent in duos diuidi minutos, κοδράντην illum de quarta parte vnciæ acceperunt, sed hæc diuidia exorta est, quod alii de quadrante vnciæ argenteæ, alii de æreæ exposuerunt. alii de minutis argenteis, alij de æreis. vtra sit interpretatio verior, nos in nostro de re Nummaria pluribus discutiemus. quod enim hanc rationem solam habes quare de drachmis accipi minime probes, quia non pœnitenda largitio videatur pro paupere vidua duæ drachmę, ea quidem multum friuola est & nugatoria. Non attendisti verbis Domini qui duas illas drachmas ὅλον τὸν βίον illius viduæ, πάντα ὅσα εἶχεν fuisse dicit. at duæ drachmæ non magnus census, nec magnæ diuitiæ, etiam in mendico, quũ nihil aliud habet. Non propterea tamen hanc interpretationem alteri prætulerim, nec vnquã eam sic defendi, vt meam videri vellem, sed simpliciter vt ab antiquis assertam proposui, & rationem, qua eum conuellebas, quod inepta mihi videretur, impugnaui.

pag. 27. Originationes & ἀκανθολογίας illas, vt vocas, quas ex omnibus Salmasij scriptis huc collectas

coaceruasti, si singulas suis locis redderes, quibus & conueniunt, nihil absurdi haberent, nec frigidæ viderentur. eæ sic à te huc temerè coniectę, & alieno loco obiectæ ad hoc saltem pertinent, vt stultitiam tuam traducant. quid porro te stultius, aut vanius cum auctorum contrarietates, quos diuersa super eadem re sentire ostendi, quasi meę sint mihi affingis & imputas? Hinc quadruplex illa ἐναντιολογία in hoc capite proscripta, quę quadruplex tua est insania & vecordia. Videamus & excutiamus pręcipua capita illarum ἐναντιομαχιῶν quas ipse tibi finxisti, vt mihi affingeres. Primum istud est & præcipuum, ex quo cætera manarunt: *Mulieris illius viduæ λεπτὰ drachmæ sunt siue denarij, eadem drachmæ non sunt siue denarij Romani.* sic à te hęc ἐναντιολογία proposita est: an mea sit exploremus. tuam imposturam esse vereor vt reperiamus. Dixi τὰ δύο λεπτὰ apud Marcum pro drachmis argenteis ab Epiphanio, ab Herone, & ab aliis quibusdam fuisse interpretata. an non hoc verum est? hoc certissimum comprobatum est. quid huic expositioni à me contrarium postea dictum est, immo quid dici potuit? nec enim vt meam, sed vt veterem hanc interpretationem posui. Docui videri in eadem sententia fuisse Hesychium cum τὸ λεπτὸν sex millesimam partem talenti esse scribit. Nam si de Attico talento apud Hesychiũ intelligamus, sex millia drachmarum habebat Atticum talentum. Talentum vulgo ἑξακισχίλιον vocabatur. Anonymus de Pōderibus: τὸ δὲ τάλαντον λέγεται ἑξακισχίλιον· quod verbum ita expressum in veteri libro reperi, ,ςᵃ

alias talentum Atticum notabatur ξ' littera per medium lineam traiectã habente· vt apud Africanum in capite de Ponderibus notatum inueueni: τὸ μὲν τάλαντον σημειοῦσι τῷ ξ' στοιχείῳ διὰ μέσου γραμμὴν ἔχοντι ξ,' quę nota sexaginta numerum significat. Nam talentum Atticum sexaginta minarum, sex millia drachmarum continebat. Hinc ἑξακισχίλια & ἑξακισχιλίους στατῆρας Taléta vulgo fuisse apud Atticos appellata Didymus in Odyssea obseruat. si de hoc Talento Attico, & ἑξακισχιλίῳ Hesychium interpretamur, quis dubitet quin λεπτὸν quod ab eodẽ Taléti ἑξακισχιλιοστὸν numeratur, pro drachma sit exponendum vt λεπτὸν apud Marcum? Sed postea animaduerti Hesychium non de Talento Attico loqui, verum de Alexandrino, cui centum & vigintiquinque libras tribuit, hoc est minas centum & viginti, cum Atticum dimidio minus esset. λεπτὸν itaque quod huiusmodi Talenti ἑξακισχιλιοστὸν erat non de drachma Attica accipiendũ esse docui, sed aut de drachma Alexandrina quę duplex ad Atticam fuit, aut de asse Romano quod põdus habuit duarum drachmarum Atticarum, aut drachmæ Alexandrinę. Ita accipiendo, tam insanus esse non potui vt dicerem λεπτὸν Hesychij idem esse cum λεπτῷ Marci Euangelistę. Nec sanè id vsquam à me traditum vel in somniis cogitatum, vt impurus persuadere vult Cercoetius. Sequitur secunda ἱστοριολογία; *Hæc λεπτὰ quatuor vel quinque* ° *solidos valebant, immo quadruplo amplius.* id quidem tu dicis Cerçoeti, sed falsissimum. non subtilius à me disputatum est quot λεπτὰ singula solidis nostratibus valerent,

ſed dixi duo minuta ſiue duas drachmas non ingentes eſſe diuitias, nec valdè largam largitionem. finge non quinque ſolidis noſtratibus drachmam valuiſſe, ſed duplo, immo triplo amplius, an viginti ſolidi noſtrę monetæ pro magnis diuitiis computandæ ſunt cum totus hominis cenſus, tota ſubſtantia ὅλος ὁ βίος viginti ſolidis conſtat? Nec in mendico enormis hic cenſus. Supputationem Budæi omittamus, hac ſimpliciore vtamur. Solidus aureus veterum, qualis cudebatur ſub primis Imperatoribus, duplo maior fuit quam noſter. is viginti quinque drachmis Atticis æſtimabatur. ſecundum hanc proportionem noſter duodecim plus minus drachmis æſtimãdus veniret. ſic ſingulæ drachmæ non plus quinque ſolidis noſtratibus valerent. binę drachmæ, decem ſolidis: an ingentes & non pœnitendæ tibi diuitiæ ſunt, noſtræ monetæ decem ſolidi? Sane drachmam idem ferme pondus habere nec plus valere quam Regalem vnum quinque noſtratibus ſolidis valentem notauerunt rei nummariæ periti. quę heîc repugnantia aut contradictio, Cercoeti? videamus tertiam: *λεπτὰ iſta viduæ in talento ſexies mille fuerunt, non ſexies millena ſed duodecies fuerunt.* Dixi λεπτὰ illa viduæ quæ Heroni & Epiphanio drachmæ ſunt, ſexies mille in Talento Attico fuiſſe. quid verius? an hoc negabis? dixi huiuſmodi λεπτὰ ſiue drachmas non ſexies millenas ſed duodecies in Talento Alexandrino numeratas eſſe. numquid hoc falſum eſt, ô cucurbita? imo quid certius? quid igitur heîc cõtrarium docui? an potes oſtendere docuiſſe

me idem genus Talenti & ſexies mille & duodecies mille eiuſdem generis drachmas habuiſſe? contundam te ô ferrea frons, licet adamante durior ſis. Iam quartum, & vltimum ἐναντίωμα diſpiciamus: λεπτὸν *idem Heſychius* νόμισμα ἓν *eſſe dicit: non dicit eſſe* νόμισμα ἓν, *ſed* δύο λεπτὰ, νομίσματα τρία. Concedamus heîc tibi, vt te placidiore tandem vtamur, ἐναντίωμα ineſſe, non meum fuerit, ſed Heſychij. an non apertè hoc in eius verbis legitur. Heſychius in voce κοδράντης vbi λεπτὸν dicit eſſe νόμισμα ἓν & paulo poſt tamen idem ponit δύο λεπτὰ eſſe νομίσματα τρία. Hoc meũ tantum eſt quod illud νόμισμα ἓν, non ad τάλαντον, vt ineptè & inſulsè referebas, ſed ad λεπτὸν docui eſſe referẽdum. quid audes nunc mutire contrà? Tu Talentum ex illo Heſychij loco idem eſſe cum ſolido aureo falſo tibi perſuaſeras. quem immanem errorem ſi non exemi tibi, multis ſanè confudi & confutaui. de Heſychio vt tibi reſpondeam, & de illa contrarietate quæ verbis eius ineſſe videtur, cum varię τῶ λεπτῶ ſint ſignificationes, & hoc vocabulum varijs minutorum nummorum generibus tam æreæ quam argenteæ formæ conueniat, quid mirum ſi & λεπτὸν νόμισμα ἓν eſſe dixit & λεπτὰ δύο τρία νομίσματα; ſed aliter nunc illi loco à nobis conſultum eſt, nam certum legi debere: νόμισμα ἓν ἥμισυ. ſi λεπτὸν eſt νόμισμα ἓν ἥμισυ, certè δύο λεπτὰ rectè & ex vero dicentur eſſe τρία νομίσματα. Dicis cupere te audire quid reſpondeam. iam reſpondi, ſed nondum ſatis tibi feci. Maſtigophore Cercoeti, cum lorarijs meis nunc tibi experiendum eſt tunc an illi validiora lora, aut valentiora brachia

habeatis. Hæc pulchra futura est ἀνταπολογία quã mea ſine parte pericli vos inuicem diſſoluetis.

Minutum, & aſſem, & quadrantem, quartas eſſe partes unciæ. ineptia & inſcitia Petauij. locus Heſychij rectè expoſitus.

De Epiphanij loco, quin rectè ſit à nobis expoſitus, tu qui omnia vera negas, iam non potes negare. De Heſychiano in voce κοδράντης, vt nihil amplius dubium aut obſcurum tibi eſſe poſſit, ſuperiori capite præſtitimus. τὸ λεπτὸν τέταρτον eſſe τῆς οὐγκίας· τὸ ἀσσάριον ſimiliter τέταρτον τῆς οὐγκίας· κοδράντην quoque τὸ ἱ τέταρτον τῆς οὐγκίας, certis auctoribus probauimus. Euſebius in Ecloge περὶ σταθμῶν· σίκλον οὐγκίας τὸ τέταρτον· ἀσσάριον οὐγκίας τὸ τέταρτον· κοδράντης οὐγκίας τὸ τέταρτον. Sic & ἀσσάριον, & λεπτὸν & κοδράντης Heſychio idem. τέταρτον τῆς φόλλεως apud eumdem exponitur. vbi φόλλις eſt ſeſtertius æreus vncialis. Si κοδράντης, inquis, Marci duo λεπτὰ continet, qui tandem λεπτὸν erit? iam tibi diximus, & κοδράντην eſſe λεπτὸν vel aſſem, & illud λεπτὸν in alia duo minora λεπτὰ diuidi, qui ſunt ſemiſſes. de vtriſque λεπτοῖς Heſychius. de maioribus, cũ ἀσσάριον & κοδράντην, & λεπτὸν eadem facit; de minoribus cum λεπτὸν νόμισμα ἓν ἥμισυ habere docet. nam κοδράντης qui δύο λεπτὰ habet; habet etiam τρία ἡμία. ſic ſingula ex illorum λεπτῶν, habet ἡμίον ἓν καὶ ἥμισυ. In Epiphanij loco corrup-

tiſſimo, ἐξ λεπλὰ ταλάντυ, noli tibi blandiri, aut lectori imponere. nec enim eo nomine à me reprehenſus es, quod aut ignorantiam in eo tuam confeſſus fueris, aut quod minime eum emendare potueris. Non ſum tam ignarus moduli tui, vt à te exigere velim locoru[m] prodigiosè corruptorum emendationes. ſcio quid valeant tuæ vires, quid ferre recuſent. Cum κατέπαυσε νομικὰς θυσίας, pro κατέπαυσεν ὁμικὰς θυσίας, quod erat facillimum, corrigere neſcieris, quam ſtultus eſſet qui hoc de te deſideraret, vt locos deploratos reſtituas? quid igitur? quid in te reprehendi? prudentiam in te requiſiui maiorem vt ab his vertendis abſtineres, quæ minimè à te intelligi, etiam ipſemet intelligebas. quorſum enim attinebat verba Græcè nihil ſignificantia, Latinis verbis æquè nihil ſignificantibus reddere? ſed noluiſti videri quicquam in Epiphanio eſſe quod Latinè vertere non poſſes. Hunc Epiphanij locum feliciter à nobis reſtitutum confiteri non audes, ſed conatum tantum vocas. Verum hoc non eſt tui iudicij, aut arbitrij. alij æſtimatores erunt.

Locus Epiphanij de Folle explicatus. In eo explicando Petauij inſcitia & ἀλογιςίαι.



ECce alius corruptus Epiphanij locus, & in eo exponendo vanus & irritus Cercoetij labos. ſed veritatem ſibi exprobarri non patitur. calces vndique iactat & furit, cum acri vero exſtimulatur. Haud ſanè miror. πικρὸν τὸ ἀληθές. Inſanias licet, & de reſti etiam cogites, iterum tamen heîc à me verum audies. ſi quis in magno aliquo libro tot peccata commiſiſſet, quot in vno hoc Epiphanij loco explicando te peccaſſe deprehendi, indignus eſſet qui libros vnquam videret, aut litteras tractaret: verba Epiphanij: φόλλις ὃ καὶ ταλάντιον καλεῖται, διπλοῦν δ᾽ ἐστὶν, ἀπὸ δύο ἀργύρων συγκείμενον, οἳ γίνονται σιδλώδρια· καὶ φόλλις δύο λεπτοὶ κατὰ δηναρισμὸν, ἀλλ᾽ οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. quod apud Epiphanium præceſſerit, τὸ δὲ ἀργύριον τοῦτ᾽ ἐστὶν ὃ Ρωμαῖοι μιλιαρίσιον καλοῦσι, ideo de huiuſmodi argenteis miliarenſibus hunc follem putas intelligendū. quod eſt abſurdiſſimum ac te dignum. illi argentei miliarenſes, nihil habent cum iſtis commune qui follem conſtituunt, nec quod de illis præceſſerit apud Epiphanium, ideo conſequens eſt, in ſequentibus idem nummi genus intelligi. Nam ſub diuerſis titulis hæc concipiuntur in veteribus libris, ac in verſione antiqua, hoc modo: DE ARGENTEIS. DE NVMMIS. DE

MILIARENSIBVS. & poſtea, DE FOLLI. ταλαντίον heîc pro βαλλαντίον retines imperitiſſima, cum βαλλαντιον ſit lectio meliorum Codicum, & vetus eam agnoſcat verſio: *Follis. & ballantion id eſt ſacculus, à duplicatione nominatur.* Multis præterea teſtimoniis eam confirmauimus in Confutatione. ταλαντίον vox Græca non eſt, pro paruo talento, nec vnquam ταλαντίον lectum eſt. huiuſmodi ὑποκοριστικὰ ex neutris non fiunt, vt iam docuimus & paulò pòſt docebimus. Præterea maiores minoreſve nummorum ſpecies nunquam per ὑποκοριστικὰ diſtinguuntur, ſed per adiectiua ποσότητος. exempli gratia, vt minores drachmæ à maioribus diſtinguantur, non δραχμίον, aut δραχμίδιον de parua, δραχμὴ de magna dicitur, ſed παχεῖα δραχμὴ, & λεπτὴ δραχμὴ dicitur. ſic μέγα ἀργύριον de mina, λεπτὸν ἀργύριον de drachma. ita & in alijs obſeruare eſt. Poſtremo nomina ponderum nuſquam apud Græcos, nec apud Latinos ὑποκοριστικῶς enuntiantur. Nam ſi vel in re vel in ſignificatione diminutionem paterentur, deſinerent id eſſe quod ſunt. ideo libellam pro libra nemo dixit vnquam. Nam libella aliud eſt quam libra. Nec Græci λιτρίον, aut λιτράριον pro λίτρα dixerunt. nec μνίδιον aut μνάριον pro mina. ita nec ταλαντίον pro τάλαντον. & Græcè imperitiſſimum oporteat eſſe, vt eſt Petauius qui ταλαντίον pro Talento paruo poſſit accipere. Ad hæc quis follem Talentum eſſe, aut ita dici ex veteribus vnquam notauit? ideo ταλαντίον heîc te retinere aſſeris, quod perſuaſum habeas follem heîc pro ſingulari nummo accipi. Primum id falſiſſimum eſt, quod paulò pòſt

docebitur. Deinde etiam ſi verum eſſet, non propterea tamẽ neceſſe eſſet legere ταλαντίον pro βαλλάντιον. Nam vox βαλλάντιον huic ſignificationi follis quum de ſingulari nummo accipitur, neutiquam repugnat. βαλλάντιον enim apud Græcos, nec pro coaceruatione nummorum, nec pro ſingulari nummo vſurpatur. Sed Græci qui de folle in re nummaria ſcribunt, id eſſe βαλλάντιον Græcè aut θύλακον annotant, non quod θύλακον Græci, aut βαλλάντιον in ea ſignificatione ponant, qua *follis* apud Latinos ſumitur, cum pro nummo accipitur, ſed vt notionem huius vocabuli exprimerent, quæ ſacculum nummorum ſignificat. ſic *folles* Iſidorus, hoc eſt nũmulos æreos à ſacculo dictos ait, ſiue folle quo reconduntur nummi. Græci etiam cum de *folle*, qui vel ſingularem nummum, vel nummariam quantitatem ſignificat, agunt, non βαλλάντιον, aut θύλακον, ſed φόλλιν Latinam vocem vſurpant. Quod φόλλιν in hoc loco Epiphanij pro ſingulari nummo interpretari tibi placet, ideiro ταλαντίον retines? atqui τάλαντον de ſingulari nummo nũquam apud Græcos vſurpatur. Tu tamen pro pecuniola apud Rheginos ſumptum fuiſſe, Feſti auctoritate probare contendis: qua in re imperitiam tuam manifeſtò oſtendis, & quidem extremam. plura Talenti genera Feſtus ibi enumerat, quædam maximi valoris vt Alexandrinum: quædam minimi, vt Syracuſanum & Rheginum. Si hæc talenta pecuniolæ fuere, quod minimum valerent, certè & Alexandrinum grandis pecunia fuerit oportet. quod abſurdiſſimũ. cur enim talentum Rheginum pecunia ſit, non

ſit Alexandrinum? Quod enim Feſtus Talentum Rheginum victoriati vnius facit, id non ſignificat victoriatum apud Rheginos nummũ fuiſſe, quod Talentum diceretur. Nam victoriatus nummus fuit Romanus non Rheginus, ſed id voluit, apud Rheginos plures nummulos, vnius valore victoriati Talentum conſtituiſſe. Ergo ἄθροισμα nummorum fuit etiam apud Rheginos Talentum, non ſingularis nummus. ſic & Syracuſanum. Tradit Ariſtoteles apud Pollucem Siculum Talentum olim quatuor, & viginti nummos valuiſſe poſtea duodecim, ita duodecim nummi apud Siculos Talentum conſtituebant, vt duo nũmi ſi forte, apud Rheginos. Nam nummi illi de quibus Ariſtoteles, ſunt ſeſtercij nũmi, vt nos alibi ex eodem Polluce confirmamus. Huiuſmodi nummi in denario quaterni. ſic nummi duodecim tres denarios faciunt. ita Feſto cum Ariſtotele conuenit, qui trium denariûm fuiſſe tradit Talentum Syracuſanum. Iam agnoſcere fortaſſe incipis, quam falſus animi fueris, cum Talentum pecuniolam eſſe, & ταλαντίον Græcè appellari exiſtimaſti. illud vero longè prodigioſiſſimum quod verba ipſa Epiphanij tibi perſuadere non potuerunt, *follem* heîc ἄθροισμα eſſe non ſingularem nummum, ſcribit enim hunc follem ὑπὸ δύο ἀργυρῶν συγκείμενος· quæ ἀθροίσματος notio eſt, non pecuniæ ſingularis: quis enim de nummo ſingulari dixerit, eum componi, & coaceruari ex pluribus nummis? Ceteras hallucinationes tuas & errores capite ſequenti excutiemus, vt κατὰ πόδα te ſequamur.

Iterum

Iterum perpenſus Epiphanij locus de Folle: quid ſit argenteus; quid denarius.

NVnc ſententiam noſtram tecum perpendamus. Primum in Epiphanij contextu nihil ex ingenio commutaui, vt confidenter aſſeris, ſed omnia ex libris. Vidi plures manuſcriptos Codices, qui ſub nomine Epiphanij tractatum illum de ponderibus, quod inter eius opera legitur, ſeorſim continebant. in ſanioribus & vetuſtioribus hic locus de folle ita concipiebatur: φόλλις ὃ καὶ βαλλάντιον καλεῖται ἔχει ἀργυρεοῦς δύο ἥμισυ, δηνάρια σι, λίτρας ιβ. φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ κατὰ ἀργυρισμόν. in multis Lexicis ἀνεκδότοις, & in etymologico Suidæ hæc eadem ſicut poſuimus ſcripta reperiuntur, ex Epiphanio vt apparet ſumpta. Vetus autem verſio eiuſdem tractatus in antiquo libro ante annos ſexcentos deſcripto ſic habet: *Follis qui & ballantion, id eſt ſacculus, à duplicatione nominatur, duo namque ſunt ac ſemis argentei, qui faciunt minutos denarios duos.* Illud primum conſtat in Epiphanio legendum, ἐκ δύο ἀργυρέων καὶ ἥμισυ συγκείμενον. quod vero veteris illius verſionis auctor duo ac ſemis argenteos, facere minutos denarios duos ait, in vitioſos Codices videtur incidiſſe. & ſanè incidi ipſe in manuſcriptum Codicem quemdam, in quo ita legebatur: φόλλις ὃ καὶ βαλλάντιον καλεῖται, ὅτι διπλοῦται, δύο γάρ εἰσιν ἀργυροῖ, ὃ γίνεται σι δηνάρια λεπτοὶ δύο. φόλλεις κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. quam ſcri-

pturam planè expreſſit interpres ille vetus. Sed verba illa ὃ γίνεται σι' δηνάρια λεπτὰ δύο. Vitium cõtraxere ex iſtis: ὃ γίνεται σι δηνάρια,,λ τι β, hoc eſt, λίτραι τετρακόσιαι δώδεκα. pro quibus perperam intellectis fecere imperiti librarii, λεπτὰ β. nihil venarius. Quod vero errare me iactas, quod denarij illi qui centeni in minam imputantur, Heronne meo teſte λεπτὰ non dicantur: ſed milliarenſes eo nomine cenſeantur, id quidem ad rem non pertinet, ſed plane ipſe erras, nam Hero, & δηνάρια, quæ centena in minam incurrunt, & λεπτὰ eadem facit, vt ſatis ſuprà probauimus. Verum hoc nihil ad noſtrum nunc negotium. Deinde perſpicuum eſſe dicis, Epiphanium duplex follis genus conſtituere, cum ait διπλοῦν δὲ ἐστιν, immo perſpicuè verum eſt te falli, nam διπλοῦν vocat hoc vnum idemque genus follis quod duplicetur, & ex duplici argenteo cum ſemiſſe componatur. id oſtendit alia huius loci ſcriptura quæ ſic habet: φόλλις ὃ καὶ βαλλάντιον, καλεῖται ὅτι καὶ διπλοῦται. quam lectionem & in ſuo libro videtur inueniſſe veteris interpretationis auctor, qui ſic reddit: *Follis qui & ballantion, id eſt ſacculus, à duplicatione nominatur: duo namque ſunt ac ſemis argentei.* Vides rationem huius duplicitatis ſiue duplicationis reddi, quod duo in eo ſint argentei cum ſemiſſe. Græca pariter eadem ratione nituntur: φόλλις ὃ καὶ βαλλάντιον ὅτι διπλοῦται, δύο γάρ εἰσιν ἀργυροῖ καὶ ἥμισυ. ideo duplicatur hic *follis* quod ex duplici argenteo conſtet. Verba Epiphanij ſicut vulgata ſunt, non aliud volunt: διπλοῦν δὲ ἐστιν ὑπὸ δύο ἀργυρῶν συγκείμενον. quod enim ex duobus argenteis compoſitum,

& coaceruatum ſit, ideo duplex dici ſignificat. quantum igitur hallucinatus es, qui de duobus follis generibus heîc tractare Epiphanium, nec integrum eius locum eſſe, imbiberas! verba Epiphanij de folle tam ex veteribus libris, quam ex veteri illa verſione ita conſtitui debent, ſicut iam ea conſtituenda docuimus in Confutatione: φόλλις ὁ καὶ βαλλάντιον. διπλοῦν δέ ἐστιν ὑπὸ δύο ἀργυρῶν συγκείμενον, οἱ γίνονται σν´ δηνάρια. φόλλις κατὰ τὸ δηναρισμόν. ἀλλ᾽ οὐ κατ᾽ ἀργυρισμόν. & idem plane Follis eſt, quem Gloſſæ Nomicæ ita deſcribunt: φόλλις λεγόμενος ἐστὶ καὶ βαλλάντιον, ἕλκει δὲ δηνάρια διακόσια πεντήκοντα, τουτέστι λίτρας τιβ, καὶ οὐγκίας ἕξ, ὡς ἔχοντος ἑκάστου δηναρίου λίτραν μίαν, καὶ οὐγκίας τρεῖς. Nihil verius aut manifeſtius quam vnum eumdemque Follem ab vtroque auctore deſcribi. Hoc ſatis & abundè confirmatum eſt in Confutatione, vbi fusè omnia explicauimus. Tu quantum nugarum effuderis, & effutiris in huius Epiphaniani loci explicatione, qui mihi non credent, hoc in Animaduerſionibus tuis videant. iam verò, vt anus ad armillum, tu ad illam πολυχρόνιον συκοφαντίαν tuam redis qua diuerſas auctorum ſententias ſuper τῶν λεπτῶν expoſitione à me poſitas, quaſi meas mecum pugnas mihi imputas, & quorumdam etiam hallucinationes à me obſeruatas, meas facis, quo quid improbius? τὰ λεπτὰ apud Marcum de drachmis interpretatum eſſe cum Epiphanio Heronem notauimus. τὰ λεπτὰ apud Heſychiũ aſſes Romanos eſſe, & ſex milleſimas talẽti Alexandrini partes etiam obſeruauimus. at λεπτὰ illa Heſychij ſic interpretata, eadem eſſe cum

tum vero denaria argyrus idest argenteus existebat. Tu qui omnia inuoluis, & tricis impedis, aliquid tandem si potis es nobis expedi, & has difficultates dissolue. surdo fabulam narramus. quære qui explicent, ipse nihil potest nisi implicare. Iam tibi ostendimus, ô stultiuide, si videre voluisses aut potuisses, hanc Epiphanii esse, & veterum quos sequutus es hallucinationem. Hic ἀσσάρια denario sexaginta tribuit, & hæc ἀσσάρια confundit, atque eiusdem ponderis facit cum veris ἀσσαρίοις, cuiusmodi sedecim in denario numerabantur. Græci, vt diximus, omnem numulum æreum voce Latina ἀσσάριον nominarunt. nam & ὀβολὸν & χαλκοῦν suum ita passim vocant. Verus ac vetus assis, quadrantē vnciæ habebat, ipse in quatuor quadrantes nummulos partiebatur. vt assis ipse qui quarta pars vnciæ, *quadrans* vocabatur, sic & quarta pars assis etiam *quadrans* dicta est, qui minimus æreorum fuit minutorum. Tam assem igitur vnciæ quadrantem, quam numulum assis quadrantem, Græci & ἀσσάριον & κοδράντην vocitarunt. Vt sedecim porro asses in denario, sic sexaginta quatuor assium quadrantes. Hi sunt quadrantes, quas sexagesimas denarii partes rotundo numero vocat Plinius, vt Græcæ monetæ responderent, quæ similiter sexaginta χαλκοῦς in denario Græco, hoc est drachma computat. Hęc sunt etiam sexaginta ἀσσάρια quæ denario tribuit Epiphanius, quæ perperam ab eo tam nomine quam pondere confunduntur cum veris assibus, quales senideni denario tribuebantur. Hic inter alios error Epiphanii, &

recentiorum Græcorum qui eum ſequuti ſunt, & fortaſſe vetuſtiorum quos ille ſequitur, qui omnes ἰσοθυμαδὸν denario veteri Romano ſexaginta ἀσσάρια tribuunt. quod de veris aſſibus accipi neutiquam poteſt. Nam certum eſt, & conſtat nunquam plures ſedecim aſſibus in denario computatos fuiſſe, quamdiu denariorum & aſſium vſus apud Romanos viguit. Sexageſimæ igitur illæ denarii partes, quæ ἀσσάρια nominantur ab his auctoribus, non ſunt veri aſſes qui quadrantem vnciæ pendebant, ſed aſſium quadrantes, qui Græcorum χαλκοῖς reſpondent. At Græci recentiores & χαλκοῦς & ἀσσάρια paſſim confundunt. iidem itaque huius nominis ἀσσάριοι errore ducti idem pondus attribuunt ſexageſimis denarij partibus quod ſextis decimis, hoc eſt aſſium quadrantibus, quod integris aſſibus. Ex hac hallucinatione pendet, quod in Gloſſis Nomicis legitur, ſingulos denarios habere libram vnam & vncias tres. Aſſes denario ſecundum illorum ſupputationem ſexaginta aſſignantur. huiuſmodi aſſes eiuſdem ponderis ſtatuunt cum veris ac veteribus aſſibus Romanis, qui vnciæ quadrantem penſabant. Sexageni igitur aſſes tales libram vnam faciunt, & vncias tres. ſic in ſingulis denariis aſſes ſexaginta, libra vna & vnciæ tres. quod inferius explicabitur, vbi arguis nos pretium nummorum cum pondere confundere. Hoc ego profecto mirarer, niſi ſcirem me longè grauiores iſtis Græcorum auctorum, in re veteri Nummaria exponenda Romanorum exerrationes deprehendiſſe. cuius rei ſi-

dem faciet παλαιὰ λογαρικὴ quam propédiem in lucem ſumus edituri, cum iis quæ ad eam notamus. de cetero, ô Cercoeti, optimè iam noueram te optimum eſſe declamatorem: te voce, lateribus, canina facundia & impudentia plurimum valere. Quare nihil opus erat te hanc artẽ tuam heîc nobis oſtentare. lorarii heîc mihi adſunt, qui non tam facundi ſunt, ſed diſertius rem agent. Hoc agite lorarii.

De pondere denarii & miliarenſis. immanis error Petauij qui auri proportionem duplam tantum facit ad argentum.



STupendum illud ac brutum delirium, quod heîc mihi obiicis, quem pro Salmaſio ſemper habes, iam faxo fatearis ipſe & dicant omnes, ex tuo ſtupore natum eſſe & pluſquam bruta ignorantia. memini ſcribere in confutatione argenteum nummum, quem miliarenſem media imperij vocauit ætas, denario antiquo paulo grauiorem fuiſſe, & pretii maioris. & quis de hac veritate ſtultè dubitare, niſi Cercoetius, aut eam improbè negare poſſet, niſi Petauius, qui idem cum Cercoetio eſt? miliarenſes in libra argenti ſexaginta cudebantur: Denarii vero quatuor & octoginta. ſic in vncia argenti quinque miliarenſes inibant, ſeptem denarii. quis neget nunc miliarenſem fuiſſe grauiorem antiquo denario? Iam mihi Cercoetius impu-

tat, quasi denarium illum quem septimam aut octauam vnciæ argenteæ partem pensasse certum est, quatuor vnciarum fecerim. ita probare nititur, ac me ex mea sententia conuincere longè maioris ponderis fuisse miliarensem quã denarium. Nam miliarensis, inquit, siliquæ vnius & dodrantis pondus habebat, cum denarius iuxta meum calculum, quatuor vncias pendat. Egone tam brutus & stolidus, vt denarium quem vnciæ argenti partem septimam fuisse nemo nescit, quem & hoc pondere fuisse etiam scripsi, quatuor vnciarum pondus habuisse potuerim vel somnians cogitare? vbi hoc à me scriptum, Cercoeti, denarium argenteum, siue drachmam, quæ vnciæ argenti octauam pendebat, quatuor vnciarum argenti pondus habuisse? quatuor vncias æris habuisse denarium possit quis dicere, qui sedecim asses habebat, vel quod idem est quatuor sestertios æreos, hoc est quatuor vncias æris: nam singuli sestertij vnciam æris appendebant. & quis hoc verum inficietur? Iuxta hanc rationem & Glossarum Nomicarum locum exposui, qui singulis denarijs libram vnam & vncias tres attribuunt. De quibus denariis Glossę illę intellexerint non est dubitandum cum centum denarios τῷ ἀργυρῷ idest minæ argenti imputent, quam ἀργυροῦν appellant. quomodo igitur denarius argenti qui drachma erat, & octauam tantum vnciç argenti partem pendebat, libram vnam & vncias tres habere potuit? Hæc verba Glossarum: ὡς ἔχοντος ἑκάστου δηναρίου λίτραν μίαν, καὶ οὐγκίας τρεῖς. sciri debet auctorem illum, vt & Heronem,

Epiphanium, & Maximum aliosque, sexaginta denario asses tribuere non sedecim, & illos asses eiusdem ponderis cum assibus illis facere quales senos denos habebat denarius. iuxta hāc sententiam denarius habuerit oportet libram vnam æris cum tribus vnciis, qui sexaginta asses habebat. nam sexaginta asses illius quod dixi ponderis libram vnam & vncias tres appendisse certissimè constat. Dixi igitur denarium Romanum argenteum quatuor vncias æris habuisse, non dixi quatuor vncias argenti appēdisse. & cum quatuor sestertios æreos habuerit denarius qui singuli vnciam æris pendebant, an non verū est & quatuor vncias habuisse? ita & Græci denarium quem sexaginta assiū volunt fuisse, libram vnam æris, & vncias tres habuisse dicunt, quod sexaginta nimirum asses hoc pondus haberēt. Auctores omnes qui de ponderibus & re monetaria scriptum aliquid reliquerunt, ita passim loquuntur: Denarius habet sexdecim asses, sestertios quatuor, ergo & totidem vncias æris: nam quatuor sestertij, quatuor sunt æris vnciæ. Iuxta hanc loquendi consuetudinem Eusebius Pamphilus in Ecloge περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων. Denariū Romanum facit vnciarum quattuor, quia quattuor sestertijs valeret, qui singuli quattuor erāt vnciarum. verba eius hæc sunt: τάλαντον λιτρῶν ξ΄ μνᾶ λίτρας α΄. λίτρα οὐγκιῶν ιβ΄. δηνάριον οὐγκιῶν δ΄. νοῦμμος οὐγκίας α΄. στατὴρ οὐγκίας τὸ ἥμισυ σίκλος οὐγκίας τὸ τέταρτον. Vides denarium ab eo quattuor vnciarum constitui ob eam rationem quam dixi, denarius quatuor vnciarum, quia quatuor se-

ſtertiorum vncialium. per νοῦμμον enim intelligit ſeſtertium nummum qui æris vnciam in pondere habebat. Iulius Africanus: τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίους ἔχει τετραπαικὰ δύο. νούμμους δ'. ἀσσάρια ις'. ὁ δὲ νοῦμμος ἔχει οὐγκίας τοῦ σταθμόν. Secundum hanc proportionem & rationem denarius ſexaginta aſſium, erit libræ vnius, & trium vnciarum. Nec aliter ille Gloſſarum locus explicari poſſit, niſi ex hac loquendi ratione. In ære igitur quo permutabatur, non in argento quo formatus erat, quattuor vnciarum pondus habuit denarius. Nam in argento octauam tantum vnciæ, aut etiam ſeptimam partem appendiſſe nemo ignorare poſſit, etiamſi Cercoetium imperitia ſuperet. Huius rei ignorantia, Petaui, te in hanc amentiã præcipitauit, vt crederes, aut certè fingeres denarium argenteum pondere quattuor vnciarum argenti à me procuſum eſſe. quo febriculoſo commento nihil falſius, & ſtulta tua credulitate nihil inſulſius, quam tamen ſeu ficta, ſeu vera eſt, tanti feciſti, vt in ſecundo tuo maſtigophoro iterum eam inculcaris, & caput integrum vel improbitati, vel ſtultitiæ tuæ iterum ſuper eadem re propalandæ dederis. Iam heîc immanis alius tuus error tacendus non eſt. Tu miliarenſem argenteum, cuius in Gloſſis Nomicis mentio, quique ibi ſiliquam vnam & ſiliquæ tres quadrantes habere dicitur, de pondere perperam interpretaris, cum de pretio & æſtimatione debeat accipi. Gloſſæ: ἔχει δὲ ἕκαστον τῶν ἕντων λεπτῶν ἀργυρείων, μιλιαρισίων καλουμένων, κεράτιον ἓν ἥμισυ τέταρτον. Non ſiliquam vnam, & ſiliquæ dodrantem pendebant iſti miliarenſes,

vt imperitiſſimè ſcribis, ſed ſiliqua vna, & dodrante valebant: de ſiliquis quippe aureis ibi intelligendum. miliarenſes illos vnius ſiliquæ quadrante leuiores fuiſſe alteris miliarenſibus, qui duas ſiliquas valebant, ex illo Gloſſarum loco colligere eſt. at miliarenſes iſti, non duas ſiliquas pendebant, ſed duabus ſiliquis æſtimabantur, quę ſiliquæ erant aureæ. iam docuimus, & verum eſt huiuſmodi miliarenſes in libram argenti ſexagenos fuiſſe cuſos, quare grauiores drachmis antiquis fuerint neceſſe eſt, Etenim drachmas in libram argenti xcvi. feriri iuſtum erat. ſic non plus quam quinque miliarenſes in vncia argenti fuere, quum octo drachmas eadem haberet. vnciam porro conſtat centum quadraginta quatuor habere ſiliquas, octaua pars vnciæ, ideſt drachma, decem & octo ſiliquas hac ratione pendebat. nam decem & octo octies ducta ſummam ſupraſcriptam efficiunt. Miliarenſis igitur argenteus, qui quinta tantum pars fuit vnciæ, nouem & viginti ſiliquas minimo minus habuerit oportet. Tu duarum tantum pondus habuiſſe vis. ô mule quid ſentis? vin etiam abſurditatem quæ indè ſequeretur, agnoſcere, quo magis imperitiam tuam condemnes? ſequeretur tunc temporis aurum duplum tantum ad argentum fuiſſe, quod quatuor decuplum fuiſſe conſtat. ſcis aut ſcire debes duodenis miliarenſibus huiuſmodi, qui duas ſiliquas habebant, vnde & δικεράτια vocabantur, aureum ſolidum tunc ęſtimatum, Aureus ſolidus illo tempore ſexta pars

vnciæ fuit, vnde & *ſextula* Latinè, & ἑξάγιον Græcè dicebatur. ſic viginti quatuor ſiliquas pendebat ſolidus: nam hic numerus ſexies ductus centum & quadraginta quatuor efficit, quot ſiliquæ ſunt in vncia. Igitur ſi miliarenſis argenteus non plus quam duas ſiliquas penderet, cum ſatis conſtet ſolidum viginti quatuor ſiliquas habuiſſe, & duodenis miliarenſibus, binarum ſiliquarum ſingulis, æſtimatum, neceſſario conſequens eſſet, auri ad argentum proportionem dupla maiorem tunc non fuiſſe. quo falſius quidquam, aut magis inauditum nulla vnquam fabula finxerit. Si more tuo inſubidas buccas diſtendere vellem, & lituos inflare leues, quot & quantæ, & quam prodigioſæ abſurditates ex hac vna naſcantur, poſſem oſtendere, & in hoc fanatico errore caſtigando aliquod capita conficere; ſed tuum ſit, quidquid meum non poteſt eſſe. expecto porro quid tertius tuus maſtigophorus ad hæc dicturus ſit. nam hic prior quin μαστίζεσθαι quam μαστιγοφορεῖν dignior ſit, nihil cauſæ poteſt allegare.

Quid sit φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμόν, & κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν explicatum. de folle multa. inscitia Petauij.



QVam feliciter Epiphaniani loci vlcus sanauerim, quam stulte id neges, & infœliciter illud ipse tractaueris iam superius ostensum est, & quæ nunc dicemus magis ostendent. Ex eo loco restant exponenda hęc verba, φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμόν, ἀλλ' ἡ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. Follem κατὰ τὸν δηναρισμὸν interpretari tibi placet de duobus minutis æreis qui *folleralem* constituunt. primum quis te docuit duos minutos æreos *folleralem* constituere? follis illo tempore apud Græcos prout nummus est singularis, minimus nummorum fuit, inde & φόλλις apud calculones illorum temporum, ἀντὶ τῆς μονάδος. Gręci: ἣν τέμνουσιν οἱ ἀριθμητικοὶ τὰς μονάδας, ἣν δὲ οἱ λογαρικοὶ τὰς φόλλεις. centum octoginta octo huiusmodi folles solidum constituebant. hos *folles* Marcellinus comes in Chronico vocat *foleralles*. perperã, nam legendum *follares*, hoc est τὰ φολλάρια. quos ita παραγωγικῶς enuntiauit, vt *teruncianos* pro *teruncijs*. *Nummis*, inquit, *quos Romani teruncianos, Græci follares vocant, Anastasius princeps, placabilem plebi commutationem distraxit*. Minimos eos nummos, ὡς ἂν τμητις, etiam facere videtur Marcellinus, cum vocari à Romanis *teruncianos* scribit. nam *teruncius* minima moneta apud Romanos. quomodo igitur duo minuti follem siue fol-

larem constituent? Hæc tamen interpretatio tua non est, sed Scaligeri, quem dissimulato eius nomine, & heîc & in Animaduersionibus ad Epiphanium improbè vsurpasti. Videndus eius posthumus de re nummaria liber. sed quamuis Scaligeri sit, haud minus tamen falsa est, & tu non minus fur, quam si quis æris calculatorij marsupium alicunde surripuisset, follem aureorum putans. Præterea hæc interpretatio mendosis Epiphanij verbis tota innititur, quæ sic perperam in vulgatis editionibus cõcipiuntur: φόλλεις δύο λεπτοὶ κατὰ δηναρισμόν, cum omnes scripti Codices rectè habeant: φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμόν. quod & confirmat vetus versio, quæ ita etiam legit: *Follis autem secundum denariorum pondus ac numerum, non secundum metalli meritum.* Duæ illæ voces, δύο λεπτοὶ, in quibusdam etiam scriptis libris habentur, sed alio loco positæ, hoc nempe modo: φόλλις, ὃ καὶ βαλλάντιον καλεῖται ὅτι διαλύεται. δύο γάρ εἰσιν ἀργύρου ὃ γίνεται σν' δηνάρια, λεπτοὶ δύο. φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμόν. Sed vnde hæ duæ voces λεπτοὶ δύο ibi obrepserint, docuimus suprà. λίτραι & λεπτὸν eodem fermè modo Græci abbreuiant: cum igitur scriptum esset, λ τῖβ, quæ vera est huius loci lectio, imperiti librarij fecerunt, λεπτοὶ β'. hoc indubitaté verum est. Postremo neutiquã stare potest hæc expositio, vt κατὰ δηναρισμὸν, de minutis & æreis denarijs accipiatur, ideo quod Græci qui de ponderibus scripsere, etiam recentiores, nusquam τὸ δηνάριον de moneta ærea vsurpent, sed semper de antiquis argenteis denarijs hanc vocem sumere soleant. Epiphanius

ipſe, in hac follis dinumeratione, qui ex denariis colligebatur, non pro minuto æreo, τὸ δηνάριον poſuiſſe, ſed pro denario veteri argenteo clarè clamat. duos ἀργυροῦς cum dimidio, ducentis quinquaginta denariis æſtimat. ita ſingulis ἀργυροῖς centum denarios attribuit. τοὺς ἀργυροῦς pro minis eum accipere certum eſt, ſic & τὰ δηνάρια pro denariis argenteis, vel drachmis, quæ centenæ minam, hoc eſt τὸν ἀργυροῦν explent. atque hic eſt φόλλις, ex ducentis quinquaginta denariis conſtãs, quem κατὰ τὸν δηναρισμὸν vocat Epiphanius, quique diuerſus erat ab eo folle, qui κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν dicebatur, quod ex minutis argenteis miliarenſibus dictis, componeretur. Hunc follem ἐξ ἀργυρείων λεπτῶν συναγόμενον Gloſſæ Nomicæ fusè deſcribunt: non deſcripſit vero Epiphanius, ſed follem κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν tantum nominauit, vt ab eo diſtingueret, quem deſcribit, qui κατὰ δηναρισμὸν ideo dicitur eſſe, quod ex denariis colligeretur. Nunc vtriuſque differentiam explicemus. Follis κατὰ τὸν δηναρισμὸν, quod ex denariis coaceruarentur, ducentos quinquaginta continebat denarios, qui in aſſes æreos aut in æs reſoluuntur. Nam ducentos illos quinquaginta denarios, libras æris duodecim ac trecentas cum ſex vnciis habuiſſe tam Epiphanius quam Gloſſarum auctor tradunt. ita ſinguli denarii libram vnam & vncias tres habuerunt, in ære ſcilicet. Cum enim auctores illi ſexaginta aſſes denario tribuant, hic numerus aſſium, libram vnam cum tribus vnciis complet. Alter φόλλις, qui κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν dicebatur, ex centum viginti

quinque minutis ἀργυρείους componitur, & ad aurum redigitur. Glossæ enim Nomicæ centum & viginti quinque illos argenteos, qui miliarenses vocabantur, in auro nouem solidos & miliarensem vnum cum nouem follibus constituisse scribunt. φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ex ducentis quinquaginta denariis constans tres libras argenti duobus denariis minus continebat. Nam octoginta quatuor denarii in libra argenti Romana cudebantur. φόλλις κατὰ τὸν ἀργυρεισμὸν, ex minutis argenteis coactus, libram tantum vnam argenti & deuncem complectebatur. Nam centum & nouem miliarenses δικέρατι qui follem illum explebant, libram vnam argenti, & deuncem efficiunt. φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμὸν tempore Epiphanij non amplius erat in vsu publico constitutus, vt nec ipsi denarij. Nam tunc pro denariis *argenteos* vocabant, & in vsu habebant, qui & dicebantur *miliarenses.* inde est quod sub posterioribus imperatoribus *argenteos minutos* passim legere est pro denariis. Priscianus de põderibus: *drachma, siue argenteus scrupuli tres.* Vetus auctor pro argenteo denarium dixisset. sed illorum temporum scriptores, quod omnem argenteum nummum, *argenteum* simpliciter vocarent, ita etiam drachmam, ac veterum denarium appellarunt. ita & Græci & ἀργύρειοι pro drachma, & λεπτὸν simpliciter, subaudientes ἀργύρειον acceperunt. idem Priscianus cum de denario loquitur: *denarij*, inquit, *illo tempore, argentei nummi erant viginti quatuor siliquarum.* quo satis ostendit denarios sua ætate, quales sub prioribus Imperatoribus extiterunt, non amplius

amplius vſitatos fuiſſe. Idcirco Epiphanius qui veteres tantum monetas omnes perſequitur, nullam ſui temporis attingit, hunc φόλλιν κατὰ τὸν δηναρισμὸν ex veteribus denariis conſtantem, recenſuit, illum vero κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν ex minutis argenteis conflatum non deſcripſit, quia notus eſſet, vt illo tempore vſitatus. Aſſes, denarios, ſtateres, ſiclos, & veterum genus omne nũmorum, qui ſua ætate ab vſu iã publico receſſerant, tantũ recenſet. Milliarenſem quidem etiam numerat & deſcribit, ſed non illum minutum argenteum, qui illo tempore vigebat, verum aliũ iam antiquatum, & maiorem, qui & δίχρυσος vocabatur. Epiphanij verba de illo miliarenſi, quia vulgo corruptiſſima ſunt, heîc adſcribam, vt legi debẽt ac diſtingui: Δίχρυσον δὲ ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸ ἥμισυ τοῦ ἀργυροῦ. τὸ δὲ ἀργυροῦν τοῦτ' ἔστιν ὃ οἱ Ρωμαῖοι μιλιαρήσιον καλοῦσι, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικόν. τὸ δὲ δίχρυσον καὶ τοῦτο ἀργύρεον μὲν ὅπερ κίβδηλον ὕστερον ἐκλήθη, ἀναιρεθέντος δὲ τοῦ βασιλέως τότε, οὗ τὸ ὄνομα ἐν τῷ διχρύσῳ ἐνεχάραττε, τὸ νόμισμα αὐτοῦ ἀποβαλλόμενον κίβδηλον ἐκλήθη, τουτέστιν ἀδόκιμον. Hæc perperam apud Epiphanium tribus diſtinctionibus diuiſa ſunt, quaſi de tribus diuerſis nummorum generibus loquatur, cum vnum tantum δίχρυσον recenſeat qui argentei vnius dimidium valebat. Hanc emendationem veteribus libris & antiquæ verſioni debemus, quæ ita habet: *biſaureum vero antiqui vocabant argentei medietatem, id eſt δίχρυσον. argentea vero ſunt, quæ miliarenſia vocant à militibus quorum ſunt munera deriuando: nam corrupto poſtea nomine miliarenſia dici cœpere, quæ prius militarenſia vocabantur; dumque extinctus*

fuiſſet illius temporis Rex cuius ſolidus erat in hoc biſaureo figuratus, eius pecunia reproba nominata eſt. de hoc *dichryſo* nos alibi, quem & *binionem aureum* dictum docebimus. *biſaureum* reddit vetus interpres. Hic Epiphanij æuo non amplius vſu terebatur. obſoletas igitur ille & antiquas nummorum formas in hoc tractatu de Ponderibus attigit, non recentes, & ſui temporis vſuales. quare cum Follem, qui ex duabus argenti minis ac ſemiſſe, hoc eſt ducentis quinquaginta denariis ſiue drachmis componebatur, percenſuiſſet, addidit, Follem illum κατὰ τὸν δηναρισμὸν eſſe, οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν, ideſt iuxta rationom antiquorum denariorum, non iuxta modum recentium argenteorum. Hoc planè ſignificant illa verba. Follem κατ' ἀργυρισμὸν, hoc eſt ἐκ λεπτῶν ἀργυρίων explicant Gloſſæ, & nos paulò poſt. Tu ad Epiphanium φόλλιν κατ' ἀργυρισμὸν de argenteo nummo accipis, φόλλιν κατὰ δηναρισμὸν de æreo. & quis auctor ita loquitur? quis nummos κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν de argenteis nummis dixit? νόμισμα ἀργυροῦν, φόλλιν ἀργυροῦν ſolent dicere. ſic νόμισμα κατὰ τὸν χρυσισμὸν eſſet νόμισμα χρυσοῦν. quo quid ineptius? ita Cercoctij loquerentur qui homines non ſunt, & Græcè ſunt imperitiſſimi. Follem κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν diuidis in duos argenteos. quo teſte, quo auctore? an quia & Follis κατὰ τὸν δηναρισμὸν duos æreos minutos continebat? tam iſtud falſum, quam illud. at heîc ſcribis, Follem κατὰ τὸν δηναρισμὸν, eſſe minutos duos æreos, qui *folleralem* conſtituunt ab argenteo nummo, qui *Follis* dicitur, diuerſum. Hercules tuam fidem! quid ego heîc audio? er-

go *follæralis* propriè nummus æreus, *Follis* argenteus. Ergo follis de ære non dicitur, vt follæralis, ſed de argento tantùm. Cur igitur φόλλιν κατὰ τὸν δηναρισμὸν, de æreo folle interpretaris? φολλίζαλιν debuit dicere Epiphanius, vt ab argenteo nummo qui propriè Follis vocatur, diſtingueretur. quis, ô Cercoeti, *Follæralis* meminit Græcorum Latinorumque ſcriptorum, præter vnicum Marcellinum? quis follis argentei præter te vnum? at vox *Follæralis* apud Marcellinum in mendo cubat, pro qua ſcribendum, *follaris*, hoc eſt τὸ φολλάριον. quod idem eſt cum φόλλις. *Follis* vero pro argenteo nummo, vbi vola aut veſtigium apud auctores? ais heîc quidem Petauium docere nos poſſe quod *Follis* argentei nummi ſit vocabulum, Animaduerſionum Epiphanij pag. 444. quibus auctoribus, quibus teſtimoniis ille doctor nobis id probabit? vnico hoc loco Epiphanij quem ſic interpretatur, vt φόλλις κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν, ſit follis argenteus. Hæc Petauiana auctoritas tibi defugienda non eſt, at nos eam follis vnius nec æſtimamus. quantum eſt auctorum qui follium pro nummis meminerint, nunquam aliter follem quam pro æreo nummo poſuerũt. Ante Conſtantinum ſeſtertius æris, follis æris dicebatur, cuiuſmodi centenis aureus ſolidus tunc vulgo æſtimabatur. Poſt Conſtantinũ, vt ſolidi minores, ita & folles facti ſunt. Nam follibus æreis centum octoginta octo, ſolidus illis temporibus permutatus eſt, quæ ratio manſit vſque ad extrema imperij tempora. *Follis* igitur nummus æreus & paruus: *miliarenſis*, argenteus vi-

ginti quatuor his follibus valens. Prouerbium Græcum est vulgare: ἱκανὸν συγχωρήματα φόλλεως ἄξια οὐκ οἶδε, ἀλλ' ὡς τόποι ὠφελοῦσι. Ceterum de folle argenteo æternum apud auctores silentium. φόλλις igitur ὁ τῶν ἀργυρείων est follis ex argenteis cōpositus, ἐκ ἀργυρίων λεπτῶν συναγόμενος, & numerus certus nummorū fuit, siue ἄθροισμα, non singularis nummus. Hunc Follem Glossæ Nomicæ Labbeanæ describunt, & paulo quidem emendatius Sirmondinæ, quas ad Epiphanium citasti. Verùm quantum in eo Glossarum loco, & folle explicādo aberraueris, operæ est scire. Glossę: ἔστι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις συναγόμενος ἐκ ἀργυρείων λεπτῶν τῶν τοῖς στρατιώταις διδομένων, καὶ διὰ τῶν μιλιαρισίων καλουμένων. ἔχει δὲ ἕκαστον τῶν τοιούτων λεπτῶν ἀργυρείων κεράτιον ἓν ἥμισυ τέταρτον. ὁ δὲ φόλλις ἀργύρεια τοιαῦτα ρκέ, ἃ ποιοῦσι κεράτια σιή, καὶ νούμμους θ'. Hi miliarenses siue minuti argentei, singuli siliquā vnam & siliquę dodrantem habebant, centum & viginti quinque huiusmodi argentei, siliquas ducentas decem & octo faciebant, cum nouem nummis. ita Glossę. Nunc tua videamus & perpendamus. supra pag. 40. scribis quemlibet horum miliarensium pōdus habuisse siliquæ vnius & dodrantis. Heîc vero dicis vniuersos centum viginti quinque miliarenses, siliquarū pondus habuisse CCXVIII. hoc est vnciæ vnius & siliquarum CIV. error quidem in hoc calculo minutus: nam CCXVIII. siliquæ vnciam vnam cum dimidia reddunt, & quatuor siliquis. centum enim & quadraginta quatuor in vncia siliquæ sunt. hoc paruum est, sed ad id quod agimus non parui momēti. Animaduersionibus in Epiphanium vbi hunc fol-

lem explicas, pag. 433. tradis ex argenteis istis cxxv. qui follem explent, confieri nummos, siue solidos aureos nouem. *Etenim*, inquis, *ceratia* CCXXVIII. *si per nouem partiare, singulis viginti quatuor competent; quantum solidi pondus erat.* ac ne neges dixisse, quod sæpe facis, iterum hoc repetis sub finem pag. his verbis: *Ergo in vncia siliquæ sunt* CXLIV. *quæ si per quatuor diuidantur, dant vnicuique solido veteri siliquas* XXXVI. *si per sex, dabunt solido siue sextulæ siliquas* XXIV. *quæ &* *κεράτια vocantur. Apparet ergo* CCXVIII. *κεράτια rectè nouem nummis, siue solidis imputari, quos esse Glossa dicit miliarenses λεπτοὺς* cxxv. quod nouem νύμμους in illa Glossa pro nouem solidis accipis, quasi νῦμοι ibi sint νομίσματα, nihili facio. longè enormius est, & horribilius, quod istic te peccasse ostendam. Dicis cxxv. miliarenses, quorum quilibet siliquæ vnius pondus haberet, siliquas ccxviii appendisse. concedamus. ais idẽ ex his cxxv. miliarẽsibus solidos aureos confieri nouem. Aurei porrò nouem solidi quorum singuli xxiv. siliquas pendebant, ccxvi. siliquas reddunt. sic fiet vt centum viginti quinque miliarenses, ducentarum decem & octo siliquarum pondus habentes, valeant nouem solidis aureis idem omnino pondus habentibus. Ita secundum hanc Petauianam Cercoetianamque λογαειχὴν, argentum auro ἰσοστάσιον ἢ ἰσοδύναμον fuerit, & aurum argentumque paris ponderis, par etiam pretium habuerint. quid nunc dices, Cercoeti, de hac tua Petauiana logistica? quid tertius tuus mastigophorus quem expectamus, lorariis nostris super hoc respon-

debit ne totus dilaceretur loris? fugam aut latebras tibi ſuadere non debent ſodales tui. Ad ſalutem nihil aliud iam tibi reſtat niſi reſtis. De aureis ſiliquis heîc intelligendum, non de argenteis, & cum miliarenſis ſiliquam vnam cum tribus quadrantibus habere dicitur, de pretio non de pondere accipiendum. nec enim ſiliquam vnam & dodrantem pendebat hic argenteus, ſed valebat. centum viginti quinque huiuſmodi miliarenſes CCXVIII. ſiliquas habebant & tres ſiliquæ quadrantes, vel quod idem eſt nouem nummos, ita enim Gloſſa: ἀργύρεια τοιαῦτα ρκέ, ποιοῦσι κεράτια σιη, νούμους θ΄. pro tribus ſiliquæ quadrantibus nouem nummos poſuit, hoc eſt nouem folles. Nam auri ſiliqua vna duodecim folles habebat, ſic dodrans ſiliquæ, nouem folles ſiue nouem nummos. quatuor autem huiuſmodi miliarenſes, quorum quilibet ſiliqua vna & ſiliquæ dodrante æſtimabatur, ſeptem ſiliquas reddebat. at alii fuere miliarenſes, qui tunc in vſu publico erant conſtituti, qui ſinguli duabus ſiliquis valebant, & duodeni ſolido viginti quatuor ſiliquarum imputabantur. Gloſſæ igitur Nomicæ priores illos miliarenſes, quorum vnuſquiſque ſiliquæ vnius dodrantis fuit, redigunt ad pretium aliorum miliarenſium tunc vſitatorum, quorum quilibet duas ſiliquas integras valebat: ὁ δὲ φόλλις ἀργύρεια τοιαῦτα ρκέ, ἃ ποιοῦσι κεράτια σιή, νούμους θ΄ ἤτοι πρὸς β΄ τῶν κερατίων μιλιαρίσια ρθ΄, καὶ νούμους θ΄. ergo miliarenſes, qui tunc currebant, duarum erunt ſiliquarum. cuiuſmodi centum, & nouem miliarenſes, centum viginti quinque ex aliis miliarenſibus, qui ſiliquam

tantum & ſiliquæ dodrantem habebant, complectebantur. Vtrorumque miliarenſium ſummam ad aurum redigit, & quid in auro valerent ſtatim exprimit: κιόμθα, inquit, ἐν χαράγματι νομίσματα θ', μιλιαρίσιοι ἰε', νῦμμοι θ'. centum viginti quinque miliarenſes, quorum ſinguli ſiliquam vnam, & dodrantem habuere, CCXVIII. ſiliquas, & dodrantem ſiliquæ reddebant: centum & nouem miliarenſes δικέρατα hoc eſt binarum ſiliquarum ſinguli, totidem ſiliquas ex ſe gignebant, hoc eſt ducentos decem & octo, quibus addendi nouem nummi, hoc eſt ſiliquæ dodrans, quæ ſumma excurrebat in prioribus miliarenſibus. ducentæ porro, & octodecim ſiliquæ in auro reddunt nouem ſolidos, cum vno miliarenſi δικεράτῳ, & nouem folles ſiue nummos. Nouem quippe ſolidi ducentas, & ſedecim ſiliquas pendebant. quibus adde miliarenſem vnum, hoc eſt duas ſiliquas. fient CCXVIII. ſiliquæ. excurrebat in priorum miliarenſium ad ſiliquas redactione, ſiliquę dodrans, hoc eſt nouem nummi, ſiue nouem folles. duodecim miliarenſia δικέρατα in ſolido. ſolidus ipſe viginti quatuor ſiliquarum. ſiliquæ ſingulæ duodecim follium. miliarenſis qui duas ſiliquas habebat, follium viginti quatuor erat. ſic ſolidus duodecim miliarenſes habebat, viginti quatuor ſiliquas, folles vero cętum octoginta & octo. Νῦμμοι itaque in illa Gloſſa, non ſunt νομίσματα ſiue ſolidi, ſed nūmi hoc eſt folles. & miror qui nummos ibi pro ſolidis accipere potueris, cum tam apertè Gloſſa diſtinguat ſolidos à nummis, τὰ νομίσματα ἀπὸ τῶν νουμ-

μέρι. χιλιάδα inquit, ἐν χαράγματι νομίσματα θ', μιλιαρήσιον ἕν, νούμμοι θ'. Sed hęc nos alibi pluribus. Núc iſta ſatis, vt pateat te ad miraculum vſque rei Nummariæ, vt rerum ceterarum eſſe imperitum.

Ais me ſtertere, quod dicam Græcos vocem βαλλάντιον, neque pro ſingulari nummo, neque pro coaceruatione nummorum vnquam accepiſſe. tu vero non ſtertis, ſed ſtans & vigilans ritu cantherino ſomnias, cum id negas. vbi legiſti, fatue, βαλλάντιον, aut θύλακον, aut μαρσύππιον apud Græcos pro certa nummorum quantitate poni, vt Follis apud Latinos ponitur? quinimmo Gręci ipſi qui de ponderibus, aut re monetaria ſcripſerunt, vocem hanc φόλλις in hoc ſignificatu retinent, quæ vox quia Græca non eſt, ſed Latina & peregrina, ideo eam Græco vocabulo explicarunt, & φόλλιν id eſſe dixerunt, quod Gręcè eſt βαλλάντιον. Hero θύλακον dixit pro βαλλάντιον. ὁ φόλλις, inquit, ρκέ ἀργύρεια πληρῶν, καλεῖται δὲ παρὰ ῥωμαίοις θύλακος. Nam vox *Follis* Latinè, & ſaccum & marſuppium ſignificat. Oſtende Græcos θύλακον pro nummorum coaceruatione poſuiſſe, tum mihi eadem opera probaueris te fatuum & imperitum non eſſe.

De pondere denarij, in materia & pretio suo. nummos etiam pondera esse. inscitia & ineptia Petauij.

PAndite nunc Helicona Deæ. Libet iam tibi, vt ais, tot hallucinationum mearum causam & originem pandere, tuam certissime pandes inscitiam sed quam causã illam putas? quod nesciã inquis, inter pondus, & pretium pecuniæ distinguere. quod sciũt, qui nondum ære lauantur, quod & tu scis, Cercoeti, hoc ego nescirem? sed tu qui tã bellè distinctiones omnes tenes, tam stolidus es, vt nescias distinguere inter pondus argenti, & pondus æris, quo taxatur argentum. Argenti, vt auri, pretium est ęs. vt argentea pecunia τῇ δυνάμει ac pretio ęream continet, ita & eius pondus. nã in omnibus nũmis pretium ex metalli sui põdere. nec nummus vllus sine põdere. quinimmo, & nummi omnes σταθμοὶ sunt, & dicti sunt. Moneta itaque quę maior est in metalli pretio, in põdere minor, comprehendit & continet illam quę in pretio minor est, maior in pondere. Hinc qui de ponderibus & re nummaria scripsere, solent plerumque nummo illi qui plus habet in pretio, vilioris nummi pondus ascribere & assignare. Nam vt diximus, pecunia minor pondere, maior metalli merito, numerum & pondus continet illius pecunię quę pretio inferior, numero & pondere pręcellit. Hęc causa est cur

Gloſſę Nomicę ſingulis denariis tribuant pondus libræ vnius, & vnciarum trium. quod niſi ex hac obſeruatione ac diſtinctione, non poſſis explicare. Denarius metalli ſui, hoc eſt, argenti σταθμῷ, non plus pendit quam vnciæ octauam; τῇ δυνάμει vero hoc eſt pretio quo taxatur, habet in ære libram vnam & vncias tres, quia ſexaginta aſſes habet, qui hoc pondus efficiunt. Nam Hero, Epiphanius, Maximus totidem aſſes huius ponderis denario attribuunt. Hæc etiam cauſa eſt quare Euſebius Pamphilus in Ecloge περὶ σταθμῶν, alijque, denarium Romanum quatuor vnciarum faciant, qui ſeptimam tantum vnciæ pendebat. quod enim, vt ſuprà diximus, ſexdecim aſſes denario imputarentur, qui quatuor vncias æris pendebant, idcirco denarium quatuor vnciarum eſſe dixerunt, quia quatuor eſſet ſeſtertiorum vncialium. Hæc etiã cauſa eſt quare miliarenſem argenteum, qui quintam vnciæ partem in argento pẽdebat, decem vnciarum pondus habere tradiderint. ita enim apud multos legi qui de Ponderibus ſcripſerunt: μιλιαρήσιον, στρατιωτικὸν δῶρον, οὐγκίας ι. relatione ad æs facta quo æſtimabatur, non ad argentum, ex quo feriebatur, hoc pondus habere dicitur, quod alibi fusè explicabimus. Nihil itaque opus erat, vt vano ſtlopo buccas heîc tibi inflares de denarij pondere, de ęſtimatione in decem aſſes primum, deinde & ſedecim. Hęc ego in cunis adhuc vagiens non ignorabam. Sed ſi illa tu ſciſſes quę heîc notauimus, pro meis hallucinationibus, tuas numeraſſes. Verum age nunc doce nos, magiſter infibulate,

cum ſatis conſtet denarium in argento ſeptimam tantum vnciæ partem ponderis habuiſſe, quod genus illud denariorum fuit, cui libram vnam & vncias tres Gloſſæ Nomicæ aſſignant. idem & in alio Lexico veteri mihi lectum eſt: δηνάριον σταθμίζει λίτραν μίαν, οὐγκίας τρεῖς. bene habet. doces nos denarios illos quos in Folle CCL. Gloſſæ conſtituunt, pondere ſingulos vnciarum quindecim, nummorum non eſſe ſed ponderum nomina. Domine melliflue doctor, qui te Grammaticum non eſſe dicis, & quem ego ſcio non eſſe Theologum, qua in parte litteraturæ, aut quos apud auctores reperiſti, huiuſmodi aliquem extitiſſe denarium, qui ponderis nomen eſſet, nummus non eſſet? vbi legiſti, magiſter, vocabulis nummorum, pondera quatenus pondera mera ſunt, fuiſſe appellata? Nomina ponderum ſunt ſcriptula, ſicilici, ſemunciæ, vnciæ, libræ, minæ, talenta. Hæc pondera ſunt, quæ numiſmata non ſunt. at ſpecies quaſdam fuiſſe, nominibus nummorum appellatas, quæ ponderum tantum vicem præbuerint, id tam inauditum, quam certum eſt fatuum eſſe Cercoetium, & Cercoetium eſſe Petauium. Conſtat quidem pleraſque nummorum formas, vt omnes certo pondere ſignatæ fuerunt, etiam ponderum vſum præſtitiſſe, vt drachmæ, oboli, ſolidi apud Medicos ſæpe vicem ponderum vſurpantur, ſed non minus tamen & pro nummis exibant. Denarius, Inquis, pondus vnciarum quindecim fuit. cur tale pondus quindecim vnciarum, denarij nomine nuncupatum eſt? quæ ratio huius appellationis? denarius

nummus erat, qui ſeptimam pendebat vnciæ. cur ponderi quindecim vnciarum hoc idem nomen impoſitum eſt? ſi ratione non potes, auctoritate ſaltē pugna. quis auctor denarij vocē vſurpauit pro pondere libræ vnius & trium vnciarum? Gloſſas nos adire iubes. quid illæ tinniunt? φόλλις σταθμὸς ἐπὶ λεγόμενος καὶ βαλλάντιον. *pondus eſt*, inquiunt, cuius item partes pondera ſunt, nō nummi. Hoccine inquiunt illæ Gloſſæ quod illas dicere vis. ad nutum igitur tuum loquuntur, vt tintinnabula Claromontani collegij. Follis Latinè eſt marſupium vel ſacculus nummorum. Gloſſæ βαλλάντιον heîc interpretantur. inde & coaceruatio nummorum, quantum vnus follis capere poſſet, appellatione follis nuncupata, at vis hunc Follem ita dici, non quod multos nummos, ſed quod multa pondera contineret. ergo Follis hic, marſupium ponderum fuit, non nummorum. quid ita? quia φόλλις in Gloſſis σταθμὸς exponitur, ideo & partes eius σταθμοὶ ſiue pondera, non nummi. quid poteſt ἀσυλλογιστότερον aut ineptius excogitari? atqui ſcias, ô pædotriba, tum coaceruationem ipſam nummorum, hoc eſt Follem σταθμὸν appellari, tum ſingulares nummos omnes qui partes ſunt Follis, etiam σταθμοὺς dici. Mina eſt ἄθροισμα & pondus centum drachmarum, drachmæ quoque ſingulæ σταθμοὶ ſunt: nam vnaqueque ſuum pondus habet, & certo pondere ſignata eſt. Hinc & ὁλκοὶ ſimpliciter, & abſolutè ſunt appellatæ. ita & de Folle. Follis ipſe σταθμὸς eſt, quatenus eſt ἄθροισμα plurium nummorum qui omnes adunati, & in vnum follem coniecti, hūc

σταθμὸν efficiunt, qui nomine *Follis* appellatur, partes quoque Follis huius σταθμοὶ ſunt, nummi ſcilicet ſiue denarij ex quibus Follis componitur. Atque hi denarij in argento ſiue metallo ſuo pondus habent drachmæ vnius; in ęre hoc eſt ęſtimatione ſua, libram vnam cum tribus vnciis. Hos denarios tu pondera adhuc pertendes eſſe, non nummos? Paucis adhuc te volo, doctor indoctiſſime, priuſquam hinc abeas. Epiphanius tuus ſcribit hunc follem qui ex ducentis quinquaginta denariis colligitur, componi ex duobus argenteis & ſemiſſe, qui ducentos quinquaginta denarios faciunt. de vno eodemque Folle Gloſſas & Epiphanium loqui iam ſatis ſuprà confirmauimus. De quibus porro argenteis intellexerit Epiphanius, non eſt obſcurum. Nam argenteo centum denarios aſſignat, ſingulis denariis aſſes ſexaginta. per *argenteum* haud dubium eſt, quin minam argenti velit intelligi, quę centum denarios, vel quod idem eſt, centum drachmas habebat. vocem ἀργυροῦν pro mina vſurpaſſe, clarè ipſe teſtatur his verbis: μνᾶ αὐτὴ τοῦ μανῆ. τῇ μὲν γὰρ ἑβραΐδι μανὴ ὁ ἀργυροῦς καλεῖται· ἡ δὲ μνᾶ ἡ Ἰταλικὴ τεσσαράκοντα στατῆρας ἐστί, τουτέστιν οὐγκιῶν κʹ, λίτρας μιᾶς καὶ διμοίρου. Vetus Epiphanij interpres: *Mna prout dicatur mani Hebraicè, ſiquidem manis argenteus nominatur. Mna vero Italica* XL. *ſtateres habet, ideſt vncias viginti quod ſit libra vna, & dua tertia libra vnius.* Hero: ἀργύρειον καλεῖται διὰ τὸ ἐξ ἀργύρου πεποιῆσθαι. μέγα δὲ ἐστὶν ὃς ἐκλήθη ἀργυροῦς δηναρίων ρʹ. ἕκαστον δὲ δηνάριον ἀσσαρίων ἐστὶ ξʹ. ὁ δὲ ἀργυροῦς μανὴ παρ' ἑβραίοις καλεῖται. Idem alio loco: ἑξήκοντα δὲ ἀσσαρίων ὑπάρχει τὸ

δηνάριον, ἑκατὸν δὲ δηναρίων ὁ ἀργυροῦς. Denarios autem illos paulò pòſt de drachmis explicat. vt ambigendum non ſit, quin ἀργυροῦς apud eum & Epiphanium ſit mina, denarij vero drachmę, qui centeni in minam imputabantur. Certum eſt igitur eumdem Follem ab Epiphanio, & Gloſſis Nomicis deſcribi. Follis Epiphanij ex duobus argenteis ac ſemiſſe componitur, qui ducentos quinquaginta denarios reddunt. Follis quoque Gloſſarum, ex ducentis quinquaginta denariis colligitur, & conſummatur. ſi denarij illi Gloſſarum, nomina ponderum eſſent, & ſinguli quidē librę vnius & trium vnciarum, inde neceſſario concluderetur argenteũ Epiphanij hoc eſt minam argenti, quæ centum huiuſmodi denarios haberet, libras appendiſſe centũ vigintiquinque. quod talenti Alexandrini pondus eſt, in quo minæ centum & viginti, libræ vero centum & viginti quinque. ſic mina eiuſdem fuerit ponderis cum talento. quo quid ſimilius prodigio fingi potuit? vbi gentiũ minā reperias quę tot libras habeat? mina Attica vnius libræ fuit, & aliquot drachmarum. Italica ſecundum Ephanium tuum, viginti vnciarum, hoſt eſt librę vnius & duarum tertiarum. Alexandrina duarum librarum cum aliquot drachmis, duplò maior ſcilicet, quam Attica. Mina Hebraica ſecundum Ioſephum lib. 14. cap. 12. Iud. Antiq. pendebat duo pondo & ſelibram. Si tuo more agere vellem, tria aut quatuor capita commodarem tam monſtroſæ inſcitię propalandę que minam facit centum viginti quinque librarum. Sed meum non eſt inequitare aſi-

nis. *Argyrus* igitur siue Argenteus Epiphanio est mina, denarij sunt drachmę quæ centenæ minam explent. huiusmodi porro denariis siue drachmis singulis sexaginta tribuuntur asses ab his auctoribus qui quindecim libras æris faciunt. Hinc illæ Glossæ vnicuique denario libram vnam & vncias tres tribuunt. quod ita exponendum vt supra posuimus. sic Follis iste in argento colligebat minas duas cum dimidia, hoc est denarios ducentos quinquaginta quinque, in ære vero libras trecentas & duodecim cum tribus vnciis. vt hunc follem argenti in æs κατακερματίζει, ita è contra alterum Follem qui similiter ex argenteis nummis colligebatur, ad aurum redigit. quod suprà notauimus.

Vt denarios volebas esse pondera, quæ nummorum vsum nunquam præbuerint, ita & asses argenteos etiam heîc vis ponderum nomina fuisse. ais igitur errare me, qui assem alium æreum faciam, alium argenteum, neque lexicon meum vetus intelligere in quo ita scribitur: ἀσσάριοι τοῦ ἀργυρίου, σταθμὸς γραμμάτων ἕξ. nam perspicuè docere assem esse ponderis vocabulum. quare Cercoeti? an quia σταθμὸς exponitur? mirè vt video doctus doctor es, & in re Nummaria valdè versatus, nũquid scis aliquod olim nummi genus cusum fuisse, quod nullum habuerit pondus? an tu omnes nummos, qui aut pondus aliquod habere dicti fuerint, aut pondus aliquod esse, pro ponderibus habebis tantum non pro nummis? quid si Lexicon illud vetus dixisset, ἀσσάριοι ἀργυρίου σταθμὸν ἔχει γραμμάτων ἕξ? an aliud velle & aliud significare tibi videntur, σταθμός ἐστι, & σταθμὸν ἔχει? legitur

in illis Lexicis: λεπτὸν ἐστὶ σταθμὸς οὐγκίας τέταρτον. an quæſo te λεπτὸν ideo nummi nomen non erit, ſed tantum ponderis? Drachma vulgo dicebatur ὁλκή. ὁλκή idem eſt quod σταθμός. ergo drachma nummus non fuit, ſed nomen ponderis. ita ſanè oportet, quia Petauius magiſter magnus Nummarius, & rei monetariç prçficiendus, ita cenſet. cur aſſem vero æreum nummum tibi placet fuiſſe, argenteum autem pondus? an quia pondera in argento tantum habebantur, non etiam in ære? immo antiqua omnia pondera, quç nunc viſuntur ærea ferme ſunt, aut lapidea. ita & hodie ſolemus ærea pondera non argentea habere. atqui vt ſcias aſſem argenteum, etiam fuiſſe nummum, ita in alio Lexico ſcriptum reperi: ἀσσάριον τοῦ χαλκοῦ φόλλεως τὸ τέταρτον. ἀσσάριον δὲ ἀργύρου λεπτὰ ἑπτά. in aliis, λεπτὰ ἕξ. iam vides eſſe nummum. Nummus omnis, ô magiſter, etiam pondus eſt, ſed non omne pondus eſt nummus. vncia pondus eſt, non nummus. drachma & nummus & pondus eſt, octaua nimirum pars vnciæ. Res nummaria conſtat pondere & numero, σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ, vel quod idem eſt, ὁλκῇ καὶ ἀθροίσματι. ὁλκή ſiue σταθμὸς tam in ſingularibus nummis conſideratur, & locum habet, quàm in numero καὶ ἀθροίσματι. mina quç ἄθροισμα eſt ac numerus centum drachmarum, pondus etiam eſt, ſiue ὁλκή duodecim vnciarum, & dimidiæ. drachma, quæ ſingularis nummus eſt, & pars centeſima minæ, haud minus etiam ὁλκή eſt, octauam pendens vnciæ partem. Magnus Scaliger non parum errauit, qui in libro poſtumo de re nummaria, ὁλκὴν ſemper iungit

cum

cum ἀθροίσματι & ſeparat à ſingularitate nummorum, quaſi ὁλικὴ ſiue σταθμὸς nihil pertineret ad ſingulares nummos. Tu qui Scaligeri ſimiolus es, & furunculus, quem non tantum mordes vbique, ſed & compilas, hunc eumdem errorem ſimiliter erras, quem à Scaligero hauſiſti. Relege Animaduerſiones ad Epiphanium tuas, pag. 431. & 434. Eadem porro inſcitiæ indole qua heîc denarios & aſſes argenteos non pro nummis, ſed pro ponderibus tantum fuiſſe vſitatos aſſeris, ita & ibidem *chalcum* aliâs nummi genus, alias ponderis extitiſſe adnotas. quæ imperitia gradum vlteriorem non habet, quo poſſit aſcendere. Dico tibi, magiſter, ac doceo te, ſi magiſtri doceri ſe patiuntur, *chalcum*, vt drachmam & obolum, ponderis ſimul & nummi nomen ſemper fuiſſe, quatenus nummi omnes etiam pondera ſunt. Qui de ponderibus Latinè ſcripſerunt, & Græcè περὶ σταθμῶν, nomine σταθμῶν, non tantum vera pondera, vt vncias, libras, talenta, ſed etiam nummos omne genus comprehenderũt. Euſebius Pamphilus in Eclogé περὶ σταθμῶν, nummos aureos, argenteos, æreos σταθμοὺς vocat: οἱ προειρημένοι σταθμοὶ ποτὲ ἐκ χρυσίου ἐτυποῦντο πάλαι, ποτὲ δὲ ἐξ ἀργυρίου, ὅτε δὲ ἔτι καὶ ἐκ χαλκοῦ καὶ σιδήρου καθὼς ἔχοι αἱ χρεῖαι καὶ οἱ τόποι. I nunc ac dicito argenteum aſſem ideo nummum non fuiſſe, quia σταθμὸς in Lexico veteri dicatur. aſſis æreus, vt omnes ſciunt, didrachmalis ponderis fuit, & quarta pars vnciæ. hinc & didrachmum argentei aſſis nomine donarunt: nomiſma quoque aureum eiuſdem ponderis aſſem appellarunt, quæ appellatio manſit, etiam poſtquam

ponderé diminutus fuit. Hinc Iulianus Antecessor *tressem* appellat hoc est tres asses, *τρία νομίσματα*, vel tres solidos. Atque inde solidi denominatio. *assem* pro solido & toto veteres dixerunt, ac vice versa *solidum* etiam pro asse nummo vsurparunt. inde *solidus aureus*, & *aßis aureus* pro eodem, quod assis ęrei pondus haberet. Assem pro monade etiam veteres Latini posuerunt. quia vero assis aureus, idest solidus sex millibus nummorum permutabatur, inde *μονὰς*, idest assis apud Calculones numerus ἑξακισχιλιός. de quo nos alibi plura. Hęc cum verissima sint quia captum tuum superant, idcirco reprehendis, & sophisticis cauillationibus ludificas, quę hoc tantum testantur, te ex æquo ineptum esse & imperitum.

Cauillatorem, & nugatorem esse Petauium.


Væ in hoc capite nostrę de sexagesimis denariorum ex Plinio obseruationi opposuisti, nihil aliud sunt, quam cauillationes iam pluries à te recantatę, & ex eadem illa frustratione manantes, qua aut stultè ipse credidisti, aut improbè aliis persuadere voluisti nos denarium quindecim vnciarum fecisse, qui octauam partem pendebat vncię. quod satis in superioribus purgauimus.

Talentum non est nummus, sed numerus nummorum. de Siculo & Rhegino talento. ponere vestem. imperitia Petauij.



Ocui talentum nunquam pro singulari nummo sumi, sed semper certum numerum nũmorum, & ἀθέσιμα significare. an aliud tibi videtur, ô Pædagoge qui Grammaticus nõ es? Itane, inquis, nunquam Festum legisti, vt ignores quod ex eodem Petauius obseruabat? Petauium illum noui: magnus est in re Nummaria Theologus. sed quid ille ex Festo obseruauit? *Neapolitanum talentum sex esse denarium: Siculum trium: Rheginum victoriati.* Rara mehercule ac recondita obseruatio. quid inde colligitur? Victoriatus numusne est, inquis, an ἀθέσιμα; ô bona κέρκος Petauij, nunc vicissim te rogo, an victoriatus nummus fuit Rheginorum? an apud Rheginos vnum idemque nummi genus duplici nomine, victoriati & talenti putas nuncupatum? quis nescit Victoriatum nummum fuisse Romanorum, primo ex Illyrico adductum, & mercis loco habitum, postea Romæ eadem victoriæ nota signatum? Non igitur apud Rheginos, ô fatue, nummus erat singularis victoriatus, qui & talenti nomen haberet, sed aliquot nũmi Rheginorum, victoriati vnius Romani valore talẽtum apud Rheginos constituebant. idem est & de Siculo ta-

lento, quem trium denarium facit Festus. tres denarij apud Siculos talentum non constituebant, nec enim denarius moneta fuit Siculorum, sed multi nummi qui tribus denariis Romanis valebant. Nam Festus in talentorum explicatione, ea omnia minima maximaque ad monetæ Romanæ pretium reducit, hoc est ad denarios. ita & talentum Siculũ, quod duodecim nummorum ab Aristotele constituitur, triũ denarium Romanorum pretio taxat. Nummi moneta Sicula. Varro: *Nummi à Siculis.* Duodecim huiusmodi Siculos nummos tribus denariis Festus seu Verrius æstimauit. Νῦμμος apud Siculos, Aristotele teste τρία ἡμιωβόλια valebat, hoc est duos obolos & semissé. Atque hic fuit vetus sestertius Romanorum, inde & *sestertium* qui duobus olim assibus & semisse valebat, *Nummum* simpliciter vocitarunt Romani, & *sestertium nummum*. quattuor autem sestertii, siue nummi in denario. Hinc talentum Festus, quod duodecim nummis ab Aristotele taxatur, tribus denariis æstimat. Talentum igitur apud Siculos, non singularis nummus fuit, sed ἄθροισμα siue numerus duodecim nummorum. idem omnino statui debet & de Rheginorum talento. Cur enim Siculum talentum ἄθροισμα esset, Rheginum vero nummus? vt Siculũ trium denariorum valorem habuit, ita Rheginũ vnius tantum victoriati, quod & minimum fuit. Victoriatus dimidia pars denarij Romani. si denarium Festus taxauit quattuor nummis Siculis, victoriatus duobus nummis æstimandus venit. sic nummi duo Siculi, aut etiam plures

Rhegini talẽtum Rheginũ constituerint oportet. Cũ igitur Rheginum talentũ *pecuniolam* esse dixisti ex obseruatione Petauiana, hoc est tua, profectò ingeniolũ tuũ te decepit, & otiolo tuo multum abusus es. Proxima hu c tua non dicam asinitas, vt tu asinus loqueris, sed in re Grammatica Theologiæ scientia, quod ταλάντιον hîc adhuc tuum defendere sustines. Profectò delicatus es ὑποκοριστικῶν formator & fictor, vt *pecuniolam* suprà, ita & *talentulum* molliter admodum procudisti. Sed huic tuo ταλάντιον ὦ ταλάνταπε magister, opposuerã regulam certissimã notissimãque grammaticorũ, quæ docet neutra in ον terminata, non habere ὑποκοριστικὰ in ιον purum, vt solenne est masculinorum & fœminini generis nominũ. Nullus est κανὼν adeò κα-θολικὸς quin suas habeat exceptiones. tuum erat ostendere ταλάντιον ab illa regula excipi, cum illis aliquot vocabulis quæ posuisti. An auctorẽ habes aliquem, Cercoeti, qui τάλαντιον pro paruo talento vsurparit? Epiphanium nominabis, sed ibi in mendo est, vt scripti omnes & vetus interpres ostendunt, tu vero defendis. iam hîc sumus. Faciam vt noris nullam ex illis exceptionibus, quas posuisti, exceptionem esse, aut hanc regulam infringere. τὸ γαύσιον, non venit à neutro γαῦσον, sed à fœminino γαύση. Hesychius: γαύσαι, πὶς ἐξοχὰς. similiter τὸ ζωπύριον à fœminino ζωπύρα, nõ à neutro ζώπυρον, vt imperitè asseris. σφύριον quoque ἀπὸ τῆς σφύρας, non ἀπὸ τοῦ σφυρσῦ. Iam de voce σπαρτίον, quis neget, quin à masculino σπάρτος aut à fœmineo σπάρτη descendat potius quam à neutro σπάρτον; idem est de πυρίον. & fœmininè dici-

tur πυρὴ & masculine, πυρὸς, inde πυρεῖον, non à neutro πυρόν. ad προβάτιον quod attinet, vt Lexica vulgaria notant, si verum esset, aliquid rationis haberes duobus omnino locis, vno. Aristophanis, altero Hippocratis hoc ὑποκοριστικὸν reperiri obseruarunt, sed duobus illis locis παράγωγον esse, non ὑποκοριστικὸν, iam faxo docearis. Aristophanes in Pluto:

——— προβάτιον βίον λέγεις.

Ibi non est τὸ προβάτιον, ouicula, sed ὁ προβάτιος, idest προβατώδης, veruecinus. Vetus scholiastes exponit, μωρὸν καὶ ἀνόητον. Sycophanta ibi dicit προβάτιον βίον esse desidē viuere, & negotiis alienis minime sese immiscere, simplices enim, & προβάτιοι siue προβατώδεις existimabātur, qui sua tantū curarent, quique minimè πολυπράγμονες erant. Eodem sensu ἀμνοκῶν apud eumdem Aristophanem in Equitibus, de ciue minime malo, & litium negotiorumque fugitante:

Καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν,
Πλούσιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα.

Vbi ἀμνοκῶν Scholiastæ veteri, est ὁ προβατώδης, τουτέστι μωρὸς καὶ εὐήθης. Idem igitur est, & προβάτιος siue προβατώδης. Apud Hippocratem de morbo sacro ita legitur: οὐδὲν ἐστὶν ἄλλο προβάτιον αὐτοῖς πλὴν αἶγες, καὶ βόες. quis nisi προβατώδης, & Cercoetianus, sibi persuaserit Hippocratem cum de bubus etiam loquatur, ὑποκοριστικῶς hanc vocem προβάτιον de illis vsurpasse, & προβάτια boues appellasse? πρόβατον certè Græcis est pecoris omne genus etiam bucerum. at de bucero quod omnium maximum est, voce diminutiua, quæ minimis tantum ouiculis conuenit, vsum esse tantum au-

ctorem, & proprietatum adeo obſeruantem credibile non eſt. προβάτιον igitur Hippocrati eſt τὸ προβατῶδες, vel τὸ προβατικόν. οὐδὲν ἐστὶν ἄλλο προβάτιον αὐτοῖς, nihil habent pecuarij generis. αἱ προβάτειαι, ſunt pecuaria. Ex his cognoſcis tandem quam imperitus ſis, quamque nihil ſupra vocabularia & Lexica in Græcis ſapias. His etiam perlectis quæ de re nummaria heîc adnotauimus intelligere poteris, friuola eſſe, nugatoria, incerta, falſa, quæcunque ſuper eodem argumento ad Epiphanij libellum de Ponderibus, magno cum labore, nullo iudicio congeſſiſti. Ad hæc vel centum maſtigophoros para, tu ſtigmata illa imperitiæ & impoſturæ, quæ ſemper victura, ſtilus hic tibi meus inuſſit, nunquam delebis; ô maſtigia. Maculæ, inquam, illæ tibi æternum impreſſæ reſidebunt, nec vnquam eluentur.

Ponere veſtem pro imponere iterum rides, quia ridiculus es, & imperitus. Græcitatem vbique affectat Tertulianus, *ponere* heîc vt Græcis, θέσθαι & βάλλειν pro ἐπιθέσθαι & ἐπιβάλλειν. Nam θέσθαι Græcis etiam eſt ἀμφιέζειν. & βάλλειν ἐσθῆτα eſt *ponere veſtem* pro imponere. quod argutaris ita Latinè dicendum fore *ponere lapides* quod Græci dicunt, βάλλειν λίθους, quam ineptum eſt & ſophiſticum? quod enim Græci dicũt βάλλειν ἐσθῆτα, hoc eſt veſtem induere, vertendum Latinè eſſet, *iacere veſtem*, quia βάλλειν λίθον ſignificat iacere lapidem. Vides ineptiam. Præterea vt θέσθαι & ἀποθέσθαι Græcis cõtraria ſunt, ſic Tertulliano *ponere* & *exponere*. & vt *exponere veſtem* vſurpat pro exuere, ita è contrario *ponere* pro.

imponere, & induere. Ponere igitur vtrumque significat, & imponere & deponere. vt *moliri* & pro demoliri sumitur, & pro immoliri. De voce *tractus* quum centies eam suo, idest masculino genere Salmasius in Eucharistico ponat, quod eam semel properante calamo, *spatium* fortasse cogitans aut aliud verbum, neutro protulerit, ostentum imperitiæ vocas. ô Petaui, hinc apparet quam putidus sis, & quã maiora te ad reprehendendum deficiant, cum ista quæ minimis minora sunt, tam exquisite reprehendis, & tanti facis?

Salmasius purgatus. de pedulibus. inscitia & ineptia Petauij.

NOn tantum me tibi oneris imponere putabam, ô magister, quum à te postulaui vt commentarium illum errorum & hallucinationum Salmasii quem promiseras promeres. ain tu? describendos eius fore integros commẽtarios, si quis hoc dignè præstare vellet? apage, Herculeum laborem dicis. Noli quęso tantum negotii mea causa capessere. poteris igitur hac cura supersedere, quæ tantum tibi crearet molestiæ, pręcipuè, cum vt dicis, occupationes tuę Theologiæ otium istud tibi non permittant. Pręterea commentarij illi Salmasiani satis bene cusi sunt, quid opus eos integros describere? De loco Epiphanij vbi Catharorũ

mentio, in quo Salmasium hallucinatum esse, tragico hoc est tuo more toties reboas, Salmasius ipse, si tanti te facit, tibi respondeat. possum tamē nunc pro illo tibi dicere, locū illum Epiphanij non ab eo citari ex Epiphanio ipso, sed ex Glossis Nomicis. cum de odonibus tractaret ad Historiam Augustam pag. 221. Glossas Nomicas in voce ὀδωνάρια citauit, quę locum illum Epiphanij habent. vt autem concipitur locus Epiphanij in illis Glossis, non alium sensum admittere potest, quàm qui à Salmasio indicatur. Hoc tamen peccauit Salmasius, quod Epiphanium non consuluit. quid si ad manum tūc non habuit, quem consuleret? quid si properabat? Nam Epiphanium Salmasio non fuisse lectum cui probabis? senties ipse, & existimationis quidem tuæ magno damno senties. peccatum hoc sit Salmasii, negligentiæ peccatum est. Hoc certè Galliam non pessumdedit, nec regni vires attriuit. at in illo ipso Epiphanij loco Latinè conuertendo quam imperitè & ineptè versatus es, quum πόδια, *pedulia ornamenta* reddidisti! ornamenti gratia scilicet, atque vt phrasis magis Ciceroniana esset, illud *ornamenta* addidisti ad *pedulia.* quid, inepte, pedulia tibi sunt ornamenta? quæ sub pedibus habentur, quæ tota intra calceos latent, an ea tibi ornamenti gratia gestari videntur? Fronto *Hoc pedule est quod sub pedibus præstat vtilitatem.* Vides & *pedule* substantiuè dici non adiectiuè. Festus: *pedulia quæ dicimus,* πόδια *Græcos appellare manifestū est.* iā & heîc peccas quod de substantiuo adie-

ctiuum facis. ſed hoc ideo tibi facile ignoſco, quod magis Theologus es quam Grammaticus, & quidlibet magis quam Theologus. illud etiam ex Theologia tua, non enim ex Grammatica, procedit quod πόδεια apud Epiphanium in notis, *ſoccos laneos* interpretaris, & βαθέα ὑποδήματα. ad calculos ſedeamus, æra ſumamus, & numeremus errores. βαθέα ὑποδήματα Græci vocant calceos altos & profundos quæ crura veſtiunt. πόδεια ſunt faſcię pedules quę pedes tantum inuoluunt. nam quæ crura velabant, non πόδεια ſed σκελίαι vocabantur, vt Latinis faſciæ crurales, quæ diſtinctæ à pedulibus. Hic πόδεια nobis, hoc eſt pedulia cum calceis profundis confundit. ſoccus eſt ſandalii vel ſoleæ ſpecies, quæ pedis partem infimam tantum tegit, & ab alto calceamento longè diuerſus eſt. Cercoetius ſoccos laneos, & βαθέα ὑποδήματα nobis eadem facit. *ſoccos* præterea *laneos*, indica nobis vbi tu repereris, Cercoeti. Nam, quod ſciam, nemo veterum meminit ſoccorum laneorum. *ſolearum* quidem *lanatarum* mentio apud Martialem. ſed ſolea non eſt ſoccus. quidquid ex lana factum pedes tegit, vt pedulia & vdones, *calceus laneus* dici quidem poteſt, ſed non niſi valdè impropriè *ſoccus laneus*. nec enim omnis calceus ſoccus dicitur, licet quidquid pedem velat, calceus dici queat. Sic lepidus ſutor Petauius in Cercoetiana ſutrina nobis *ſoccos laneos* profundorum calceorum forma, & *pedulia ornamenta*, diebus ſcilicet feſtis in publico oſtentanda, concinnauit. Qui ſoccos laneos, rem

nouam quæritis, & bella ornamenta pedulia, ite ad Petauium. Valdè crucior expectatione centesimi tui mastigophori, Cercoeti, cum propter alia, tum vt sciam quid noui nobis dicturus sit super istis pedulibus ornamentis, & soccis lanęis. iterum nugas blaterabit, certo scio, & sophisticas cauillatiunculas, sed iterum, ita te certum facio, vapulabit.





ADVERSVS ANTONIVM CERCOETIVM MASTIGOPHORVM,

PARS SECVNDA.

Inscitia & errores Petauij.



ASTIGOPHORO tuo primo κατὰ πόδα respondi, ô mastigia, & singulis eius capitibus totidem capita opposui. Nec pœnitet fecisse, etsi pudet me quod te tanti fecerim. Sed quia de re nummaria totus erat, & in expositione locorum aliquot Epiphanij de Ponderibus versabatur, libuit paucas horas perdere dũ ostendo, quam nihil & hac in parte Epiphanium iuueris, & quantum in hoc argumento monetali, vt ceteris in rebus omnibus, ingenij iudicijque pauper sis, & omnis intelligentiæ expers. Huic secundo vero Mastigophoro ideo nihil reponere decreueram, tum quia pigeret diutius cum homine tam imperito hanc litterariam serram ducere, tum quia præter cauilla-

toriæ tuæ Logices ludibria, & nugas nihil omnino contineret. Verùm vt hoc etiam vellem fecisti, dum, vt quam facillime id possem præstitisti. Adiectus à te est in fine indiculus præcipuarum hallucinationum, & errorum Confutationis, quos vterque tuus, inquis, mastigophorus castigauit. Hæ hallucinationes præcipuæ, & iudicio tuo maxime reprehendi dignæ, quæque alicuius momenti videantur, numero sunt XVII. Si hos igitur quos ipse grauissimos iudicasti, non solùm leuissimos, sed etiam errores non esse tibi demonstrauero, quid illis fiet leuioribus, quos in hunc numerum præcipuorum accensere non ausus es? quid inquam, illis fiet, quos pro leuibus habuisti, si grauissimi fiunt leuissimi, immo nulli? immo quid tibi fiet, aut quid causę fuat, quin pro leuissimo & nugacissimo pędagogulo habearis, & summo in re Grammatica Theologastro? Ex illis porro maioribus ac pręcipuis septemdecim hallucinationibus decem priores ad rem nummariā pertinent, quas omnes superius in prima parte refutationis nostrę dispunximus. septem restant heîc discutiendę. à prima quę in tuo numero vndecima est incipiamus. XI. *Versura, est simplex mutuum & Versuram facere est simpliciter mutuari.* Hoc hallucinationem vocas, Cercoeti, & quidem pręcipuam? ergo & Tacitus hallucinatus est, qui *Versuram* pro simplici fœnore posuit? ergo & Cicero Latinè nesciuit qui sexcentis locis ita *Versuram* vsurpauit? *Versuram facere* pro mutuari hallucinatio tibi est? ergo hallucinati Cornelius Nepos, & Plinius qui ita lo-

quuti sunt, & quorum loca in confutatione adduxi? de loco Ciceronis ad Atticum, vbi *versuram facere* idem significat, quam frustra sis alibi dicetur. transeamus ad duodecimam.

XII. *ὑψιλὸν Latinè per u reddi non debet.* quam pro meâ numeras; tuam esse hallucinationem bene pósitis calculis reperiemus. ex Latina voce *rutilus* verbum Græcum feceras ῥυτλιάζειν, pro ῥυτλιάζειν. imperitissimè. Nam Græci recentiores in vocibus quas ex Latino vsurpant, nunquam u in ὑψιλὸν mutant, sed in ȣ. sic γȣ̃λαν dicunt, quæ Latinis *gula* est, non γύλαν: sic μȣ̃λαν *mulam*: πȣλϐῖνον, non πυλϐῖνον, qui est puluinus. λȣ̃δον, non λύδον pro *ludo*, vnde λȣδοτρόφοι in Glossis sunt Lanistæ. & ita sexcenta talia. ad hæc opponis Latinos veteres in verbis quæ de Græco traxerunt ferè semper τὸ ὑψιλὸν in u mutasse. quid simile? aut quid hoc ad nostram quæstionem? an ijdem tibi sunt, ô fatue, veteres Latini cum recentioribus Græcis? illi mutabant ὑψιλὸν Græcorum in u, isti vero u Latinum in ȣ. Exime igitur & hanc de numero mearum hallucinationum, & inter tuas repone. Videamus decimam tertiam.

XIII. *ἐναντιώματα varia, vt cum idem asserit; rugas esse tabulas; rugas non esse tabulas, &c.* Hæc ἐναντιώματα totidem tua mendacia sunt. rugas à tabulis semper esse distinguendas docui, quas tu imperitissimè confundebas. videatur Confutatio. Tabulas intra vmbonem esse, extra vmbonem rugas ibidem docetur, nec quicquam quod contrarium sit, dicitur. tabulas in longum porrectas, & longiores quam latiores esse do-

cet eadem Confutatio. Nám ab vmbonis ambitu ad centrum porrectæ tabulæ, quæ plicæ fuere subtiles, & strictæ inuicem, quibus vmbo congregatus & contabulatus. Hinc *tabulatum* vocat hunc vmbonem, & tabularum *congregationem*. Cum igitur vmbo iste ex tabulis siue plicis totus esset compactus, & collectus, nullæ extra vmbonem tabulæ, nec esse poterant: nam extra vmbonem rugæ vestis quibus tabularum nomen aut aliarum haud potuit conuenire. Heîc etiam mentiris me *tabulam* hemisphærium & globum interpretari, hoc est vmbonem cum tabula eumdem facere, quem ex multis tabulis, & plicis compactum dixi. Perge Cercoeti gnauiter impostor esse, aliter Petauius non esses.

XIIII. *Caliga idem est quod solea: & tamen idem non esse fatetur.* Caligam genus alti ac profundi calceamenti fuisse quo milites olim tibiatim calceabantur, eòque à solea diuersum dicere memini, & verum est? an tu id negas? Nunquam apud veteres Latinos, *caliga* vox aliter sumitur. At recentiores Latinitatis auctores etiã *caligam* pro solea vsurpasse, tot testibus probaui vt hoc verum negare illi soli liceat cui ferrea cucurbita pro fronte turget. Nosti quis ille sit, Cercoeti. illud porro monstri simile est, cum in Animaduersis dixeris delirium esse nullis flagris satis expiandum, caligam pro solea accipere, aut ita aliquandò acceptam docere, te nunc eumdem illum Cercoetium rationem reddere velle, cur caliga pro solea olim vsurpata sit. quę vertigo tanta desultorium tuum ingenium sic re-

pente raptauit? saltem si probabilem aliquam rationem attulisses. Sed peream male, si quidquam illa insulsius, aut illis omnibus ineptius & falsius, quæcunque heic de caligis, soleis, sandaliis aliquot capitum consarcinatione deblaterauisti. Verùm de his alibi. heic tantum sufficiat monstrare, non hallucinari eum qui dicat *caligam*, militarem olim fuisse calceum, & à solea diuersum, postea etiam pro solea vsurpatum, quinimmo & milites olim calceis altis vsos esse, quæ *caligæ* dicebantur, postea eosdem crepidas quoque gestasse, quæ & *caligæ* veteri nomine sunt appellatæ. Hinc *caligæ* pro soleis. Hanc obseruationem, tam multis & claris assertam testimoniis, tu multis nugis euertere conatus es Cercoeti. an fecisti? nihil minus, quare & hanc facessere iube de grege præcipuarum hallucinationum, quas aut mihi qui sum Franciscus Francus, aut Salmasio adscripsisti.

XV. *Mullei calcei à colore mulli piscis dicti; & ijdem ab eo colore non appellati.* Hæc præcipua hallucinatio, si vlla est, nihil ad me, qui sum Franciscus Francus attinet, sed Salmasium tota spectat. Salmasio igitur heic obijcis, & inter præcipuos eius errores cōputas, quod ad Historiã Augustam mulleos calceos notauerit à mulli piscis colore dictos; in Notis vero ad Pallium, aliud etymon huius vocis attulerit. quid ô trifatue? damnás eos qui inuentis melioribus, peiora repudiant? an non licet mutare sententiam, & verioribus concedere? an excogitare, quod melius sit & proferre crimen erit? an hallucinabuntur, qui hoc facient?

XVI. *decem*

XVI. *decem annis ante natum Diogenem Cynicum Athenis paßim Cynicum pallium gestabant.* ineptè. quasi Diogenes primus τοῦ κυνισμοῦ auctor fuerit, & non Antisthenes, cui & plures ex veteribus Pallii τὴν δίπλωσιν tribuunt. videndus Diogenes Laertius in eius vita. Antisthenes Socratem audiuit, à quo καὶ τὸ καρτερικὸν λαβὼν, καὶ τὸ ἀπαθὲς ζηλώσας κατῆρξε πρῶτος τοῦ κυνισμοῦ, inquit idem Diogenes. Sanè Socrates ipse & eius sectatores πολὺ τὸ καρτερικὸν tam in victu quam in habitu affectabant. vnde & τὴν ἀνυποδησίαν, & τὸν ἐντυλιγμὸν τοῦ ἱματίου vsurpasse illos constat. vtrumque in illis carpit Aristophanes in Nubibus:

Τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις
Ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης καὶ Χαιρεφῶν

Et in eadem comœdia paulo post, τὸ ἱματίοις ἐντυλίχθαι, ex noua secta ac disciplina, hoc est Socratica manauisse scribit. ἐντυλιγμὸν Pallij & δίπλωσιν idem esse alibi probauimus. vtrumque igitur, καὶ τὴν ἀνυποδησίαν καὶ τὸν ἐντυλιγμὸν Cynici proprium sectæ suæ fecerunt, auctore Antisthene Socratico sectatore ac discipulo. Non mirum itaque si decem annis ante natum Diogenem, pallium duplicabant Socratici, eoque se inuoluebant, quod primus fecisse perhibetur Socraticus Antisthenes. Frustra igitur heîc chronologiæ tuæ adiutorium aduocas. Hoc genus autem Chronologorum, valdè acutum esse iactas. profectò, si verum dicis, tum tu chronologus non es, aut si chronologus, non nimium acutos esse chronologos ausim affirmare. Ex isto acumine chronologico, conciliare in Animaduersis tuis Tertullianum cum

Plauto conabaris de habitu Carthaginenſium. quomodo ? Auguſtum Plauto faciebas antiquiorem. en acutum chronologum, & argutum conciliatorem !

XVII. eſt de loco Dionis, & ſenatorum caliga. veriſſimum eſt quod poſui ſenatores per bella ciuilia & caligarum vſum, & chlamydis ſiue lacernæ ſumere cœpiſſe, quod multis poſſum confirmare. Horatius :

—— quiſque vt nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demiſit pectore clauum.

Zanchas veteres Grammatici interpretantur, quæ eædem ſunt cum caligis. inde & *caliga* apud Tertullianum propriè ſenatorium calceamentum. At enim quod Dionis etiam loco ex lib. XLVIII. id etiam probari poſſe putaui, vbi βυλῆς καλιγάτας fit mentio, ingenuè fateor me errauiſſe. cum Dionis liber ad manum non eſſet, & locum illum iam olim mihi annotaſſem, memoriæ vitio ſum lapſus, immemor vtique quid præcederet apud Dionem, quid ſequeretur. clama quantumlibet hanc ſtupidiſſimam eſſe hallucinationem, ſola & vnica eſt, quam in toto Confutationis noſtræ libro obſeruare potueris. Nam reliquæ, vt illæ ſedecim præcipuæ quas ſegregaſti, vel tuæ ſunt ipſius hallucinationes, vel impoſturæ. quod ex ſuperioribus ſatis arbitror conſtare. Quanta vero illa tua in errore tuendo pertinacia, qua σανδάλιον, apud Græcos etiam de profundo & cauo calceo dictum pertendis! Omnis ætas Græciæ ſemper τὸ σανδάλιον ἀπὸ τῦ κοίλυ ὑποδήματος diſtinxit, vt Salmaſius multis oſtendit ad Pallium

ex Polluce, Heſychio, & aliis. Nam & Pollux τὸ κοῖλον ὑπόδημα, ſimpliciter & abſolutè etiam ὑπόδημα vocari teſtatur. Heſychius: ἀσκέρα, εἶδος ὑποδημάτων, ἢ σανδαλίων. videatur omnino Salmaſius in Notis ad Pallium pag. 354. & 355. Sed omnium dormitantium, ſomniantium, delirantium exerrationes ſuperat illud commentum tuum quo rationem explicas, quare caligæ de ſoleis dici potuerint. *Caliga*, inquis, *pars illa ſolum dicetur quæ crura cingit, reliqua cāpagus appellari poterit.* Bonus profectò miruſque ſutor veteramentarius fuiſſes, de duobus veteribus calceis vnum nouum facile concinnaſſes. Ita heîc de duobus diuerſis calceamentorum generibus, de caliga & campago vnum compingis. & quod nomen fuit illi calceo cuius, ima & infima pars *campagus*, ſumma vero quæ crura veſtiebat, *caliga* vocabatur? *Cercoetianum* vtique nominabimus, aut *Petauianum*. Ita *caliga* calceus non fuerit integer, ſed pars calcei. idem de campago. ſic totus calceus, *caligocampagus*, aut *campagocaliga* nuncupabitur. Nec immerito propter hoc nouum inuentum mirifici calceamenti quod ex duobus ipſe compoſuit, ita gloriabundus infert ſe magnifice ſuperbiſſimus Cercoetius: *Si*, inquit, *id in Grammaticis tuis collectaneis notatum reperiſſes, nemo τὴν ὀφρὺν tuam ſuſtineret: ex hoc diſce, quanto tuo malo Kercoetium à conſultationibus tuis arceas, quem ſi ſæpius in conſilium adhiberes, næ tu prudentius ac minus ridiculè ſcriberes.* Male factum iſtud à me fateor Cercoeti, & peccatum hac in re maximè. in poſterum te cōſultabimus, vt prudentius ſcribamus, & *campa-*

gocaliga quale genus calcei fuerit, ne nesciamus. Scribit Trebellius in Galieno, Imperatorem illum *gemmatas caligas sibi annexuiße, cum cāpagos reticulos diceret.* Si vsum caligocampagi Cercoetiani nouisset, aut illo tempore hic calceus vsitatus fuisset, poterat simul & campagum & caligam sibi annectere. Sed talium iam tædet pigetque: & stulto stultior sum, qui in istis exagitandis horas meas bonas collocem, & cum homine tam fatuo & imperito tamdiu colloquar. Aiunt qui caput asini lauare satagūt, & operam & lixiuium perdere. Ad hæc si volet ille, & tertium, & quartum, & quintum, & centesimum etiam annuum mastigophorum promittat. vbi tandem sistet? an in hoc centesimo? ergo centies in anno tantum insanire vult. Hoc certè modicum est, cum vim morbi, & φρενῖτιν eius cogito, qui sexcenties in die insanus est. Sed illum sui curent, quod ad me attinet, valeat si valere potest.

FINIS.